

TRACTATUS
DE
VIRIBUS
MEDICAMENTORUM.

PROLEGOMENA.

CAPUT PRIMUM.

§. I.

*De Elementis Corporum, seu de natura
Solidorum in genere.*

Art. I. ELEMENTA CORPORUM
definiuntur a Philosophis,
Corpuscula simplicissima,
ex quibus alia sunt, &
in qua iterum resolvi pos-
sunt: atque sic per hæc intelligimus, Corpo-
rum

A

715

2 PROLEGOM. CAP. I. §. I.

ris cuiuscumque firmam originem & Stamina, quæ sua aggregatione corpus consti-
tuunt. (a)

2. Sic cohæsio seu durities tanta sit in corpore quolibet, ut omnem cognitam vim motus supereret, tum illud vocatur *Atomus*, seu *Elementum Corporeum*. (b)

Docent Physici omne corpus esse extensum, impenetrabile, figurabile, mobile, nec non corpora omnia composita cohærere cum aliquo nixu separationi plus minus-ve se opponente, qui nixus vocatur durities: si jam illa cohæsio, ille nixus, illa Vis, quam *Attractricem* vocat *NEVVTONUS*, tanta sit in illis *Staminibus* ex quibus conflantur corpora, ut nullus motus in rerum Natura sit, qui non supereret a resistentia cohesionis horum *Staminum*; tum, inquam, illæ particulæ dicuntur *Atomi*, ex a pri- vante, & *topi*, sectione: hinc *Atomus* vocatur proprie pars non amplius secunda, seu indivisibilis. Sunt autem hæ *Atomi*, ex quibus omnia constare corpora jam olim asseruit *DEMOCRITUS*; qui quidem satis intelligebat, nul- lam esse particulam in Natura, quæ non adhuc capax esset divisionis ma- the-

(a) Confer BOERHAAVE, Collegium de Me-
thodo disceendi Artem Medicam. Part V. Cap. I.
§. 6. pag. 248. Edit Londin. 1734.

(b) IDEM, ibid. Part. I. pag. 30. Cap. III.
ad pag. 43. Cap. VI.

thematicæ ; sed voluit ille , quod si vis
uniens partes corporis major sit , quam
ulla vis quæ huic corpori imprimi possit ,
inde sequatur , cohæsionem hanc vel
unionem insuperabilem esse , utpote
quæ a nulla vi destrui queat : hinc par-
ticulæ tali deprehensæ nomen impone-
bat *Atomii* .

2. Quæritur an hujusmodi corpus-
cula in natura dentur ? Quod ut ex-
aminetur , primo attendendum est , li-
cet corpora plurima mutantur quoad
formam , nulla tamen unquam muta-
ri in sua essentia ; ergo ita cohærere
debent illa quæ rerum essentiam com-
ponunt , ut nulla vis tanta sit in Na-
tura , quæ particulis essentiam corpo-
rum constituentibus applicata , earum
cohæsionem superare valeat ; unde se-
quitur manifeste , particulam hanc si-
ve *Atomum* nullatenus mutari posse :
enimvero si mutari inciperent & in
partes dirimi corpuscula hæc , tota re-
rum Natura pessum iret , atque peni-
tus destrueretur ; quippe , si Aqua , v.
gr. , partes haberet ita mutabiles , ut
esse possent partes Ignis , & quis non
videt , totam rerum faciem mutatum
iri , si hoc accideret , & omnia ab Igne
abundare tum incipiente destruenda
fore ? Ergo tota Natura clamat , *prin-*
cipia quibus corpora constant , immu-

A 2 tabi-

4 PROLEGOM. CAP. I. §.

tabilia esse : quod quidem si verum non foret , non potuissent eadem permanisse per tot saecula ; atqui in nullis rebus mutatam videmus corporum essentiam , quoniam immutabilia sunt eorum *Stamina* sive *Elementa* , ut jam diximus ; non quod mathematice dividii non possint , hoc enim in infinitum fieri potest , sed quod nulla vis eorum partes ab invicem separare queat ; & hoc facit stabilitatem Naturae . Illa nunc causa , qua istud fit , est ordo Naturae ipsius , a Deo ita constitutus ut sit eadem semper causa Cohæsionis .

4. Si *Atomus* , aut corpus ex *Atomis* constans , partes suas cohærentes ita habet unitas , ut nullum spatiū vacuum intercipiatur , tunc *Atomus* illa , aut illud corpus , vocabitur *Solidum* perfectum . *Solidum* autem est corpus , cuius partes ita cohærent inter se , ut una parte mota , reliquæ etiam simul moveri cogantur .

Hæc est inter Eruditos agitata quæstio , quænam idea dari debeat Solidi ? PERIPATETICI omnes & CARTHESIANI dicunt , Extensionem ideam esse Solidi ; verum facile ostendi potest , hoc non ita intelligendum esse . Siquidem diximus *Atomum* constare ex partibus ita arte inter se cohærentibus , ut separari nequeant ; at vero *Atomus* illa

illa non erit adhuc perfecte *solida*, nisi aliquid præterea huic definitioni adjiciatur: quippe, si Deus duas *solidas* particolas simul coniunxisset hunc in modum , haec quidem ambæ particulae ita junctæ simul essent, ut inde conflaretur *Atomus* una, cuius partes in contactu tam arte cohærent inter se, ut una pars ab altera, quamcumque vi adhibita, separari minime posset; attamen non esset adhuc *Atomus* perfecte *solida*, quoniam inter ambas hujus partes spatum inesset: verum si ita fuissent unitæ, ut nullum vacuum relinquerent intermedium, hac nempe ratione , tunc *Atomus* illa perfecte *solida* foret, quippæ quæ nullum in se spatum haberet, ubi alterum posset recipi atque contineri corpus. Hinc igitur, corpus perfecte *solidum* est illud, quod ex *Atomis* seu particulis *indivisibilis* constat, ita junctis, ut nihil vacui inter ipsas hæreat. Alterum adhuc vocatur perfecte *solidum* corpus, quod ex prioribus perfecte *solidis* conflatum est, absque ulla quoque intercapidine, seu spatio relicto inter partes totum constituentes: his autem binis perfecte *Solidorum* generibus si *Atomum* addamus, quæ constet partibus sibi mutuo unitis, sine ul-

6 PROLEGOM. CAP. I. §. I.

lo spatio intermedio , tunc tria cor-
porum perfecte solidorum genera habe-
bimus .

5. Jam vero si quis querat , quomo-
do corpus perfecte solidum metiri pos-
simus ? Respondemus , mensura spatii .
Supponamus enim , v. g. , nos habere
spatium quod sit exacte unius pedis
cubici ; & hoc spatium a nobis dein
impleri corpore ejusdem omnino molis
& figuræ , i. e. , unius pedis cubici , &
in quo nullum omnino vacuum sit ,
adeoque quod sit corpus perfecte soli-
dum : jam ergo , quandoquidem hoc
corpus exacte repleat illud spatium ,
mensura ejus erit etiam mensura spatii
in quo continetur ; tantum enim ibi
aderit impenetrabilis materiæ , quan-
ta est magnitudo spatii .

6. Si *Atomus* , aut corpus ex *Atomis*
constans , parter impenetrabiles ita jun-
ctas habet , ut intercipiantur inter u-
nitas partes spatiola vacua , aut alia
materie non unita repleta , tunc vo-
catur corpus *porosum* .

7. Ut vero habeamus mensuram cor-
poris *porosi* , supponamus , v. g. , mo-
lem Auri perfecte solidam occupare
spatium unius pedis cubici , & jam in-
de auferri hoc Aurum , cuius mensura ,
ex hypothesi , est capacitas istius pedis
cubici , & ejus loco Aquam substitui
spa-

spatium hoc exacte repletum ; tunc si
partes hujus Aquæ sint *pori*, ergo
pars pedis cubici erit mensura Sub-
stantiæ corporeæ istius Aquæ : reliqua
enim habentur tantum vacua, non
corpora, Materiæ perfecte *solidæ* re-
spectu. Hoc plurimum juvat in viri-
bus corporum indagandis : vires enim
inveniuntur ex quantitate Materiæ ;
sed quantitas hæc noscitur, cognita
magnitudine numeroque *pororum*, quia
tunc isti subtrahuntur a reliqua mole
corporea ; nihil quippe faciunt ad vi-
res corporum, quoniam sunt tantum
spatia vacua : sed illud quod præter
poros spatium replet, hoc solum dat
quantitatem materiæ in eo contentæ ;
ergo hæc est mensura *Corporeitatis*.

8. Unde videmus, quod si ARIS-
TOTELIS & CARTESII vera fo-
ret sententia, dum asserunt, Exten-
sionem esse ideam *Solidi*, tum inde
sequeretur, ubique esse eandem Sub-
stantiam corpoream : quod quidem ve-
rum esset, si non daretur in rerum
Natura *Vacuum*; tunc enim Aqua &
Aurum essent æque gravia, & æqua-
les vires haberent, utpote quæ forent
æque perfecte *solida* ; sed hoc falsum
esse ostendit magnus NEVVTONUS, evi-
dentiissimis demonstrationibus mathe-
maticis, in experimentis de *Pendulis*

A 4 9. Jam

3 PROLEGOM. CAP. I. §.

9. Jam igitur vidimus Atomum aliquam esse posse perfecto solidam , & imperfecte solidam , seu porosam ; quod proinde corpora ex eis confitata possint esse tum perfecte solida , tum porosa ; quodque corpora dicantur porosa dupli sensu , nempe porosa simpliciter , ubi nihil in poris continetur ; & porosa cum Materie interna in poris fluctuante , quando scilicet , ut diximus , meatus habent tantummodo , seu spatia penetrabilia , adeoque non repleta , h. e. , vacua philosophica . Ex his etiam patuit , quod cum physice , non geometrice , corpora ad vires metiri volumus , tunc moles a massa corporea distinguenda fit : moles enim est tota extensio corporis , quæ in quibusdam locis perfecte solidâ esse potest , in aliis vero vacua . Unde sequi perspeximus , si perfecte solidum sit corpus , tum mensuram molis & spatii in quo continetur , esse mensuram substantiæ ; sed si in mole sint loca vacua , tum mensuram instituendam esse subtractis vacuis : quod quidem in sequentibus clarius adhuc patebit .

§. II.

De Pondere specifico Corporum. 9

§. II.

De Pondere specifico Corporum.

I. Invenere duo maximi Viri, ISAACUS NEVVTON, & CHR. HUYGENS, ambo per diversa ratiocinia, quod *materies corporeæ*, in quoconque spatio deprehensa, haberet eam proportionem, ut *pondus erat illius molis ponderatus*. Quæ vero Propositio, ut elegantissima est, ita & utilissima evadit in Mechanicis, ad vires corporum eruendas. Jam explicavimus, quid sit intelligendum per Molem, seu Massam corporis, quid-ve per Quantitatem, seu Substantiam corpoream. Invenit autem NEVVTONUS, illud quod inter poros intercipitur & non cohæret, nihil facere ad vim corporis, verum esse prorsus ac si vacuum foret, respectu virium agentium, quod quidem per experimenta clare deducit, dum agit de Pendulis: vide igitur hunc Authorem in eruditissimo suo Tractatu de Principiis Mathematicis Philosophiae Naturalis, 1. ad initium, tum vero in Parte tertia, ubi experimenta habet de pyxide modo plena, modo vacua ponderata: consulatur quoque de hac propositione GUYGENIUS, in Tractatu quem inscripsit, *De la Lut-*

A 5 mire,

10 PROLEGOM. CAP. I. §. II.

mière , *O de la Pesanteur* . Jam vero quod hi duo magni Viri experimentis suis adstruxerunt , assumimus pro principio ; nempe , prout sunt pondera corporum , ita vires eorum esse : si enim in uno corpore duplo plus virium habuerimus , positis reliquis iisdem , duplo plus etiam materiæ impenetrabilis est in eo .

1. Hoc posito , cognoscere possumus Quantitatatem Substantiæ impenetrabilis veræ in certo loco contente , si nimirum Molem ponderemus (ut superius jam dictum est) ; verum nondum equidem novimus ut proprie se habet , quia nullum perfecte Solidum habemus cognitum , si enim unum tale Solidum haberemus , dignoscere utique possemus vires corporum , quatenus inde pendent : ergo pondus est tantum relativa scientia ad nos : verum si exacte scire possemus , Aurum in pede cubico continere tantum præcise Materiæ perfecte solidae , tum ponderaremus etiam Aquæ pedem cubicum ; unde statim sciremus , quum Aqua tanto minus ponderis habeat quam Aurum , tanto plus vacui igitur esse in illa , & sic de ceteris Naturæ corporibus : atque ita vera tradi posset Hydrostatices ut & Mechanices in genere doctrina .

§. III.

§. III.

De Diversitate Corporum.

1. Pro physicis principiis jam assumpsumus, Materiem esse extensam, inpenetrabilem, figurabilem, & divisibilem in infinitum, quatenus constat ex infinitis quasi *nihilis*, quæ vi quadam cohærent, & vocantur *Atomii*, omnesque particulas hæc divisas habere gravitatem aliquam, quæ perfecte convenit toti Massæ, seu Aggregato *Atomorum*: Ex his ergo jam sequitur, quod quædam harum proprietatum diversæ esse possint in corporibus. Itaque nunc dicimus, ex idea naturæ corporis sequi diversitatem ejus, quæ triplex est.

2. Prima diversitas nascitur ex diversitate ipsius *Atomii*: 1. enim *Atomus* una non est semper æque magna ac altera, cum istud necessarium non sit ad corpus constituendum: 2. *Atomus* una potest esse plus minusve *solida* quam altera; cum una possit esse perfecte *solida*, altera vero, quamvis unita ex indivisibilibus particulis, *vacua* tamen in se habere queat (uti superius demonstratum est): 3. denique potest *Atomus* una, tum magnitudine, tum figura, ab altera differre.

A 6 3. Se-

12 PROLG. CAP. I. §. III.

3. Secunda varietas in eo consistit , quod *Atomus* una cum altera , & corpus unum ex *Atomis* aggregatis confeatum , cum altero itidem simili , possint diversimode , cohæsione scilicet majori minori-ve , inter se uniri : & eam quidem cohæsionem ex rebus elementatis deducere non possumus ; est enim iis essentialis proprietas , non autem a causis externis dependens .

4. Tertia diversitas oritur ex vario modo uniendi *Atomum* unam alteri , & unum corpus ex *Atomis* conflatum alteri quoq; simili ; v. g. , duæ *Atomij* possunt hac ratione  , & hoc pacto  ,

inter se uniri , atque sic plus minus vespatii inter suas partes relinquere , &c. Unde originem dicit diversitas *Porositas* , & *Densitatis* , ut jam vidimus .

5. Nunc igitur ex præmissis patuit , quod in consideranda Elementorum corporeorum natura , novem capita percipere debeat quam optime Physicus , ac proinde Medicus , utpote fundamentalia & scitu necessaria ; quæ quidem sunt , 1. *Extensio Corporis* ; 2. *Divisibilitas* ; 3. *impenetrabilitas* ; 4. *Durities* , seu *Cohæsio* partium totum constituentium major minor-ve ; 5. *Natura Atomij* , sive *Moleculæ* nulla vi divisibilis ; 6. *Soliditas & Densitas absoluta* ; 7. *Porositas & Ra-*

De natura Fluidorum in genere. 13
Raritas ; 8. Mensuratio Solidi perfecti ,
aut imperfecti ; 9. Diversitas Corporum ,
quæ triplex est , & ex ipsa Elemento-
rum doctrina sponte deducitur .

Hæc jam sunt vera Principia phy-
sica , & ex ipsa rerum Natura petita .
Perspectis autem corporibus Solidis in
genere , super est ut de natura *Fluidorum*
aliquid adjiciamus .

§. IV.

De natura Fluidorum in genere. (a)

1. **F**luidum vocatur illa omnis corpo-
rum congeries , cuius moleculæ mi-
nūtissimæ , sensumque fugientes , aut nul-
lo , aut facile mutando nisu inter se co-
harent , ac proinde quæ tactui levissimo
cedunt , & in se invicem arietant . Quan-
doquidem Solidum , vel Consistens (uti
vocat CELSUS) definiatur , illud quod
partes suas constituentes facile separari
non patitur , & in quod impressus im-
petus potius facit movere totam mo-
lem , quam ut separet partem cui im-
pressus est , hinc *Fluidi* definitio est præ-
cise contraria , negando scilicet quod af-
firmatur in præcedente .

2. At vero unaquæque pars *Fluidi* est
unum corpus ; nam illa pars , quæ vel mi-
nime , vel nullatenus alteri cohære , est

una

(a) Id. ibid. §. 69. *De Hydrostatica.*

14 PROLEG. CAP. I. §. IV.

una pars : igitur ea quæ de *uno corpore superius dicta fuere*, ratione *Solidorum*, vera sunt etiam in iis corporibus quæ *Fluida* constituunt ; adeoque ista generalia præmissa hic iterum locum habent.

3. Verum insuper tria consideramus in hisce moleculis , quatenus compo-nunt *Fluidorum*: 1. Partium Molem diversam ; unum enim Fluidum partes habet majores minores - ve altero : 2. Figuram variam ; quippe unum Fluidum partes habet alio modo figuratas quam alterum : 3. denique Cohæsionem Nixum-ve dissimilem ; quoniam Fluidum unum suas habet partes majori minori-ve nisu inter se cohærentes , quam al-terum .

4. Ab his tribus diversis capitibus pendet omnis Fluidorum varietas : hinc nempe , *Fluidum tenue* est illud cuius partes sunt minimæ , & vix inter se cohærent ; & *Fluidum viscosum* dicitur il-lud , cuius partes majori nixu cohærent inter se , quam in alio Fluido ; & sic de ceteris .

5. Hoc posito videmus , proprietates quas Mathematici tribuerunt Fluidis , nihil aliud esse quam dotes in omnibus communes , non ut se habent in Aqua vel ut se habent in Oleo , sed tantum communes . Jam vero ut Fluidorum na-turam quo par est modo explicarent

Hydro-

Hydrostatici , assumpserunt , 1. *Fluida* constare particulis quibusdam admodum exiguis ; 2. hasce particulas ita lubricas esse supra se mutuo , ut fluerre possint ; 3. eas esse graves : & ex his tribus deduxere , quomodo Massa corporea ex ipsis Moleculis aggregatis constans , revera se haberet . Hæc est *Hydrostatica* , non solum Physico , sed etiam Medico , scitu necessaria ; quoniam omnes fere mutationes physicæ ope Fluidorum contingunt : sic enim nutrimentum & incrementum Animallium , Vegetabilium , Mineraliumque , fit per Aerem , Aquam , & Sales solutos , quæ omnia sunt fluida .

Hæc itaque sunt quæ de natura *Solidorum & Fluidorum in genere* , præfanda habebamus ; quæ nos equidem sponte sua jam ducunt ut ipsum *Corpus Humanum* aggrediamur ; hinc vero tandem ad vires quas in illo exerunt Medicamenta deveniemus .)

C A P U T II.

De structura Corpus sanæ.

1. *Corpus nostrum* duabus constat partibus , scilicet , *solidis & fluidis* .
2. Solida continent in se *Fluida* , suntque

16 PROLEGOM. CAP. II.

que ita inter se unita , ut nulla pars assignari queat , cuius cum reliquis conexio vel immediata , vel mediata , demonstrari non possit , Vena quippe & Vas Lymphaticum Arteriæ cohærent mediante Glandula , quæ ab Arteria oritur : Arteriæ omnes Aortæ adnascuntur , quæ & ipsa Cordi inseritur ; Cor , Nervorum nec non Arteriarum Ascendentium ope , Cerebro unitur ; Cerebrum Cerebello adhærescit ; hoc Medullæ Spinali , &c.

3. Omnes Corporis Canales , aliquo modo , cum utroque Cordis Ventriculo conjunguntur .

4. Ventriculus Cordis sinister connectitur cum Arteria Magna ; hæc vero ita divaricatur & dispergitur , ut nullum Corporis punctum assignari possit , ad quod portio aliqua hujus Arteriæ non pertingat : unde fit ut cavitas a Corde usque ad singula Corporis puncta continuet .

5. Omne Corporis punctum *cavum* Liquorem intra se contentum versus dextrum Cordis Ventriculum transmittere potest , si modo *Vasa Secretoria* , vel *Excretoria* sic potius dicta , excipiamus : qualia sunt , (α) *Vasa Sudorifera* ; (β) *Vasa Sanctoriani Perspirabilis* , *Perspirantia dicta* ; (γ) *Vasa Oculos* continuo humore Hu-
mestan-

metantia ; (δ) Vasa Mucosa ; (ε) Vasa Salivalia ; (ζ) Vasa Oesophagi, Ventriculi , Intestinorum , (η) Vasa Urinifera ; (θ) Vasa Seminifera ; &c.

6. Omnes Corporis Canales , & Receptacula , Liquida quædam continent, modo bene se habeat Corpus . Quuna ergo Canales inter se conjungantur , Liquida quoque inter se communicationem habere necesse est : hinc agitatio quæ in una Liquidorum parte excitatur , reliquis omnibus communicari potest .

7. Omnia Corporis Liquida , exceptis Excrementis , ad Cor redeunt .

8. Quamdiu Liquida hæc intra Canales regulariter moventur , tamdiu *sensus* est Homo ; quoties vero motus ille irregularis est , vel in aliqua parte cessat , toties ægrotat Homo ; si autem omnino , & omnibus in partibus , cessat hic motus , mors sequitur .

9. Sanitas itaque consistit in æquabili motu Fluidorum , simul & æquabilis resistentia Solidorum in omni parte . Fluida dicuntur æquabiliter moveri , quando majorem impetum non faciunt in unam , quam in alteram partem . Resistentia Solidorum æquabilis dicitur , quem æquabiliter premunt Liquida in omni parte , adeo ut inde nullus doloris sensus oriatur .

CA-

CAPUT III.

De statu Corporis læsi, sive morboſi.

2. **E**X dictis patet, *morbosum esse illum, sive Solidorum, sive Fluidorum statum*, in quo, quacumque de causa, *æquabilis ille motus, quolibet in loco, turbatur, impeditur, vel ſiftitur; quod vero mors fiat, quando motus ille ubique cefſat.*

1. *Mederi ergo eſt, tollere de Corpoſe morbum, i. e., cauſas æquabilem motum sive transfluxum impedientes removere & expellere.*

3. *Medicamenta vocatur Inſtrumenta illa mechanica, ope quorum Artiſex potest tollere cauſas ablati æquilibrii, idemque reſtituere.*

4. *Medicamentum ergo ſopponit fluxum Humorum ſeu Liquidorum, adeoque agere potest ſolummodo in Corpus vivens.*

5. *Quum Medicamentum ſupponat Corporis vitam, que pendet a trajectu Fluidorum per Solida, inde patet, illud agere in Fluida adhuc mota, & in Solida.*

6. *Itaque Medicamentum non agit in Cadaver.*

7. Om-

De statu Corporis morboſi. 19

7. Omne Medicamentum effectus suos
mechanice producit , vi scilicet solidi-
tatis , molis , figuræ , motusque parti-
cularum suarum .

8. Actionis mechanicæ effectus , est
mutatio figuræ , motus , molisque cor-
poris .

9. Hinc in Morbis curandis non
immediate agunt instrumenta illa , sci-
licet Medicamenta , sed mediate .

10. Quoniam autem actionis effe-
ctus , vel bonus vel malus , omnino
pendet a mole , motu , & figura par-
ticularum agentium , ideo a Solidis fo-
lummodo deducenda est *æquilibrii* an-
te dicti destructio .

11. Triplici modo destruitur fluxus
æquabilitas Fluidorum intra Solida ;
(α) Fluidorum in Solidis existentium
ablatione ; (β) impetu & pressione
nimia Fluidorum in superficiem Soli-
dorum interne , a causa externa com-
primente , (vel ab interna obstruen-
te) ; (γ) vi contractili ipsius Solidi
nimis aucta .

CA-

C A P U T I V.

De Solidis & Fluidis nostri Corporis in genere.

i. **T**erna quidem diversa , totum Corpus Humanum constituen-
tia , Principia agnoscit HIPPOCRA-
TES , Lib. 6. Epidem. Sect. 8. (a) Scili-
cet , (1) τὰ Ιχοντα , i.e. , Continen-
tia & Coercentia , has autem partes
Firmas , seu Coharentes , vel (vocabu-
lo usu recepto) Solidas appellamus :
(2) τὰ Ενιχόντα , i.e. , intus Conten-
ta ; quæ quidem hodie (vocabulo licet
minus Romano) dicuntur Fluida , sive
Liquida , & apud Latinos , Humores ,
seu Liquores : (3) τὰ Ορμῶντα , h.e.
Impetum facientia , per quem vero pū-
tamus A U T H O R E M intellexisse il-
lum qui fit ab Humana Mente , cum
aliquam Corporis partem movere vult ,
hic autem impetus qui fiat ignoramus :
nec arbitramur , ut Scholiaſtæ , HIPPOCRA-
TEM intellexisse per hoc verbum
Spiritus animales ; sed ipsum solummodo
voluisse significare , quod Mens nostra
non mechanice , sed incognito modo
agat

(a) BOERHAAVE , ibid. Part. 5. Cap. 1. §.
3o pag. 244.

agat in nostra Solida & Fluida , seu
λίχνη & Εὐοχήμενα . Quum autem
illa quæ vocat HIPPOCRATES τὰ
Ορμῶντα , ad scopum nostrum in hoc
Tractatu non ita faciant , ideo natu-
ram tantummodo Solidorum & Fluido-
rum Corporis Humanī in genere jam ex-
pendemus .

2. Partium Solidarum & Fluidarum
ideam generalem sat claram dedimus
in primo Capite , quæ vero partes *Solidæ* dicuntur omnium corporum res-
pectu , hæ , quatenus ad Corpus no-
strum pertinent , proprio sensu *Firmæ*
vocantur , sicut modo vivimus . Dixi-
mus autem initio corpora quælibet
constare *Staminibus* quibusdam firmis
& immutabilibus , quæ sua aggrega-
tione corpus constituunt , & hæc qui-
dem *Elementa* corporum appellavimus .
Sunt igitur quædam particulæ *prime*
& *minimæ* , quæ partes *Firmas* Huma-
ni Corporis constituunt : particula
enim quantulacumque nobis sensibilis
in corpore , non est unica pars , sed ex
pluribus constat simul aggregatis ; has
ergo moleculas cognoscere debemus ,
si nostrarum Partium naturam cogni-
tam habere velimus .

3. (a) Sunt autem hæ particulæ cor-
pusculæ

(a) Id. ibid. §. 7. De natura Solidorum .

22 PR. C A P. IV. De Solidis
puscula exigua , satis similia , simplicif-
sima , terrestria , ex fluidis humoribus ad-
ducta , ad singula loca secreta , & ap-
posita omnibus firmis partibus . Hæc ve-
ra sunt Elementa , ex quibus Corpus
Humanum constat .

Dicimus 1. quod sunt *corpuscula exi-
guæ* , & istud quidem clare demon-
stratur ex anatomicis : maxima pars
enim , quæcumque sit in Corpore no-
stro , sit ex Vasis , Vasa fiunt ex Mem-
branis , quæ involutæ constituunt *ca-
vum* ; hæ vero membranæ constant
iterum ex Vasis , quæ Vasa Membra-
nas formantia rursus conflatur ex
Membranis , quæ iterum ex Vasis , do-
nec ad *ultimum* Vas perveniamus , quod
habet Membranam ex Fibris compo-
sitam simplicissimis , non vero jam am-
plius cavis seu vasculosis ; aliter enim
non esset *ultimum* Vas : sed illæ Fibrae
sunt mera filamenta *solida* , quæ constant
meris tantummodo partibus *solidis mini-
mis* , & inter se ita adunatis & cohæren-
tibus , ut Membranam *simplicem* confi-
ciant : de qua re vide plura in Cap. seq.
Sunt igitur Elementa nostrorum Solido-
rum valde *exigua* ; sed præterea dicimus .

2. Sunt *satis similia* . Nam profecto
examinavimus per ignem chimicum
Solida plurimorum Animalium ; atque
his experimentis nobis constituit , quod si
Os,

Os, v. g., omnibus membranis, & omnibus suis liquidis orbatum fuisset, tamdiuque doqueretur in aqua, donec aqua ultimo effusa, æque clara & insipida inde rediret, ac fuerat cum aſſunderetur, tum semper Fibræ ſolidæ in hoc Osſe ſibi ubique ſimiles remanerent: Idem quoque verum fuit de aliis partibus experimentum, v. g., reſpectu Musculi, &c. Neque iſtud tantum, ſed maxima mutatione quæ in Natura contingere poſſit, hoc idem ſemper accidet: ſi enim comburatur Os, vel Musculus, non ideo tamen deſtruentur hæ Fibræ; ſed rectæ & extenſæ manebunt, quaſi integræ, & erunt ubique, in una parte, & in omnibus, eadem; nam & ex Osſe, & ex Arteria, Vena, Musculo, Pilo Capitis, &c. eadem ſunt, eandemque præbent in conſpectu materiem: ita ut illud quod nostri Corporis firmitatem facit, ſit idem fere ubique, quod qui- dem mirum videbitur iis qui putant, ſingulis partibus in eſſe ſingularem firmitatem, ſeu ſingularem materiem, pro ſingulari firmitate danda: ſed iſi conſideremus Embryonem, an non Arteria, v. g., ipſi eadem eſt hoc ſenu, ac in nobis? Imo ſane: ſi enim comburatur, ſimiles Fibraſ exhibebit; & Membrana in Embryone idem dabit post co-
ſtitutio-

24 PR. CAP. IV. De Solidis
ctionem, vel combustionem, ac Mem-
brana in Adulto; & ex omni parte di-
versa, eadem semper habebitur mate-
ries in utroque subjecto.

COROLL. I. Ergo illud quod maxi-
mum est, vel firmissimum, in Corpo-
re, ex eadem materie constituitur, ac
est materies illius quod tenuissimum,
vel minime firmum extat; Membrana
enim ex Vasis Lymphaticis, i. e., te-
nuissimis, confecta, ex eadem est ma-
terie, atque Os maximum durissimum-
que.

COROLL. II. Ergo Firmæ nostri Cor-
poris partes differunt tantum majori
minori-ve aggestione & compositione
minimorum corpusculorum quibus con-
stant.

COROLL. III. Hinc jam concludimus,
ultima Stamina ex quibus constantur o-
mnes nostræ partes majores minores-ve,
non modo esse valde parva, sed etiam
satis inter se similia.

Verum dicimus 3. Sunt adhuc simpli-
cissima; illud enim quod, in omni pun-
cto suæ Molis, eandem præbet Mate-
riæ, vocatur simplicissimum, vel illud
tale dicitur, cuius una pars est eadem ac
tota reliqua massa: hujusmodi autem
sunt omnes partes Corpus Humanum
constituentes, ut jam jam vidimus.

Tum dicimus 4. Sunt terrestria, &
hoc

hoc utimur vocabulo , quoniam aptius
haud novimus ullum , quo natura hu-
jusce materiæ exprimi possit . Chemi-
ci enim *Terrestria* vocant corpora ,
partes illas quæ nec Igne , nec Aqua
solvi queunt , sed in his immutabiles
manent : *Salina* vocant ea corpora ,
quæ & Igne , & Aqua solvuntur , ite-
rumque coëunt in materiem quasi la-
pideam : *Oleosa* , sive *Sulphurea* nomi-
nant , quæ Igne quidem solvuntur , &
comburuntur , sed Aquæ sponte sua
non miscentur . *Spiritus* appellant ,
corpora Aquæ miscibilia , & ad Ignem
combustibilia : *Aquam* dicunt cor-
pus quod concretum sit , ad mini-
mum Ignem liqueficit , & ad eum sem-
per avolat absque odore & sapore , &c.
Sed nullis ex nostri Corporis partibus
hi characteres convenient , si chara-
cteris excipiamus partium *terrestrium* ;
hæ quippe nec ad Ignem , nec in A-
qua solvi possunt : atqui talia sunt *ul-*
tima nostrarum Fibrarum Stamina ; hæc
itaque *terrestria* vocare cogimur ; quo-
niam sunt simplicissima , & hæc in o-
mni parte , ubique eadem , similia , &
immutabilia reperimus . Sed recentiores
Anatomici dixerunt ; partem Corporis
Humani *simplicissima* esse *Os* : verum
profecto in *Osse* sunt adhuc Membra-
næ , Medulla , Sanguis , Lympha , &c.

B qui-

26 PR. CAP. IV. De Solidis

quibus omnibus si privatur, remanebit utique tantum, pro *ultimis Staminibus*, pars *fibrosa & terrestris*. Ne quis dicat igitur, si Os per Chemiam examinetur, dat Aquam, Salem, Oleum, Terram, & hæc est materies Ossis, erraret sane quam maxime qui hoc ita conciperet: videmus enim quod Ossa in coemeteriis sole primum exsiccata, dein rore & pluvia humectata, tumque vento & sole iterum exsiccata, sunt tamen adhuc Ossa; sed si tum Chemicus vellet inde Salia & Oleum educere, non id profecto arte sua efficere posset: verum materies maneret fixa, omni Sale & Oleo privata; Ossa tamen adhuc integra perstiterent ante hanc operationem Chemicam. Ex his igitur patet, quid sit materies Ossis, nempe *terra solummodo*, & sic de ceteris corporis partibus. Jam vero si quærimus ab Anatomicis quid sit *Vas*? Respondent, *Vas* est Membrana sic involuta, ut canalem conicum formet, & ita fit *Vas arteriosum*, &c. Si rogamus eos quid sit *Membrana*? Respondere debent, ex suis principiis, est textura Vasorum plurimorum, arteriosorum, venosorum, &c. quæ Liquida ferunt transudantque: Sed ut rete sciamus quid sit *Membrana*, ex definitione tollere debemus omne Fluidum;

dum; & inde patet, quod Membranæ materies sit iterum terra tantummodo, non minus ac in Osse. At etiam si Pilum comburamus ad flamمام Alcohol vini, (ne scilicet inquinetur) dissipabuntur tunc temporis liquidissimæ partes; si vero postea Pilum huncce tenaculo subtiliter sustineamus, consideremusque, tum videbimus quod extus adhuc cohæreat, suamque pristinam figuram pertinaciter retineat. Hinc liquet, *ultima Stamina nostri Corporis componi partibus nec Aqua nec igne solubilibus, ac proinde constantibus ex mera terra juncta simul oleoso glutine, quod quidem solidum destruitur per ignem apertum, solidis interim partibus intactis, & iisdem semper & ubique permanentibus.*

Dicimus denique 5. *Corpuscula hæc simplicissima & terrestria ex Fluidis humoribus esse advelta, & apposita Firmis partibus.* Novimus enim quod nostrum Corpus, quantæcumque molis nunc sit, initio tamen suæ formationis minimum extiterit, ac plus quam millies minus uno grano fabuli, & ex tantilla molecula sic accreverit, quodque istud omne factum fuerit per appositionem *minimarum* molecularum ad reliquas jam simul compactas: enim si Fibræ alicui non apponeren-

B 2 tur

28 PR. CAP. IV. De Solidis
tur aliæ partes , hæc equidem longior
fieri , & adhuc simul in partibus suis
cohærere non posset . Ergo hujusmodi
appositione particularum increvit Ma-
china nostra : ista quippe omnia Va-
sa , elongata , aucta , ampliata fuere ;
unde & reliquæ itidem partes . Cum
igitur omnia Vasa sic æquabiliter in-
crescere debuerint , hinc oportuit ut
ad singula Vascula distinctæ applica-
rentur particulæ ; quod quidem fieri
non potuisset , nisi cum Fluido , per va-
sa transvecto , eo deductæ fuissent illæ
partes .

4. Perspecta igitur Firmarum , vel ,
ut vocant , Solidarum Humanæ Corporis
partium indole generali , superef-
set ut aliquid de Fluidis adderemus ;
verum quia Liquidorum in genere pro-
prietates in primo Capite jam expli-
catæ fuerunt , ea quæ de Fluidis no-
stris sensu dici possunt inde ite-
rum peti debent : sic enim illorum de-
finitione ibidem jam diximus , quod :
Fluida constant moleculis minutissimis ,
coacervatis , & sine cohæsione contiguis ,
que tactui levissimo cedunt , & in se in-
vicem arietant . Hæc autem generalia
omnibus nostri Corporis Humoribus
plane congruunt , utpote cunctis com-
munia Liquidis .

5. Jam vero cum Liquor nullus ex-
trava-

Fluidis nostri Corp. in genere. 29
traversatus reperiatur naturaliter in no-
stra Machina, necesse est ut omnis Flui-
dorum mutatio in Vasibus, sive Solidis
cavis, contingat; idque triplici modo,
(1) ab intenstino Liquidorum motu; (2)
a motu exstrinsecus, sive a lateribus Va-
sorum, communicato; (3) a nova Li-
quidi admistione.

C A P U T V.

§. I.

De natura Vasorum Corporis Humani.

1. **S**olidae sunt duplicata, vel cava, vel
cavitate destituta, cava vocan-
tur *Vas*. (*Vas autem in genere est illud*
corpus quod format cavum, in quo con-
tineri potest corpus alterum, & ubi ple-
rumque Fluidum adest.

2. (a) Vidimus in præmissis, quod
ultima Materies stabilis & firma, unde
perennitas Solidorum pendet, sit mere
terrestris; tum vero quod hæc Materies
simul adunata & applicata constituat
Fibras: perspeximus enim partem fir-
mam, si comburatur, ultimo dare Fi-
bras solidas, quæ resolvuntur in illas

B 3 partes

(a) BOERHAAVE, *ibid. Part. 5. Cap. 1. a §. 10.*
ad §. 15.

30 PR. CAP. V. §.I. *De natura
partes terrestres jam descriptas: unde li-
quido patet, Fibras ex ipsis partibus con-
stare.*

3. Porro vidimus quoque, Fibras ha-
sce filamenta esse solida & oblonga, non
cava, quæ sibi mutuo applicata cum
aliis Fibris junguntur & intertexun-
tur, & hoc modo Membranam con-
stituunt; dein autem hæc Membrana
convoluta facit Cavum, & hac ratio-
ne jam habemus *minimum Vas*: ut co-
gnoscamus igitur nostra Sólida, cogniti-
a prius Materie, qua constant, scien-
dum est, quid sint hæc Fibræ, ex quibus
conflantur Vasa, ut ex combustione
Solidorum patet. Harum vero Fibra-
rum ideam sat claram dedimus, dixi-
musque in genere, Fibras certa ratio-
ne adunatas constituere Membranam
simplicem: istud autem eodem modo
fit, ac videmus filamenta Lini inter se
mutuo intertexta conficere inteamina;
hoc igitur sigillatim jam examinandum
est.

4. Fibræ & Membranæ ex Fibris
convolutæ, sive *Canaliculi omnium
minimi*, nec non *majora* ex ipsis con-
stantia Vasa, quæ Membranas etiam
conficiunt, triplici diversa ratione sibi
invicem attexuntur, decursumque ob-
servant (1) parallelum, (2) interte-
xtum, (3) spiralem.

Quan-

Quandoquidem Materies ultima ter-
refris (uti vidimus) constituant primo
Fibras, haec vero sibi mutuo applicen-
tur, & conficiant Membranam sim-
plicem; ex hac autem simplici Mem-
brana convoluta confletur Vas, quod
est primum & minimum; si nunc hu-
jusmodi plura Vascula sumamus, haec
decurso suo intertexto constituent
Membranam, jam non ex Fibris so-
lummodo, sed Vasibus constantem; haec
involuta faciet etiam Vas: ejusmodi
porro Vasa plurima ex Membranis
non fibrosis simpliciter, sed vasculo-
sis, conflata si sumamus & intertexa-
mus, fient iterum Membranæ, unde
rursus Vasa, & sic deinceps. Dici-
mus autem haec Vasa intertexti, non
fecus ac linteal & panni, triplici ni-
mirum ratione; (α) nonnulla quippe
Vascula parallelo situ decurrunt, & ad
se invicem cohærent; (β) alia ite-
rum inter haec parallela decurrunt si-
tu opposito, & ad angulos varios prio-
ra secant; (γ) alia tandem adsunt,
quæ spiraliter intorquentur, atque sic
inter præcedentia decurrunt. Tali ve-
ro Vasorum intertexto decursu fiunt
Membranæ majores, unde Vasa ma-
jora, ex quibus Viscera, & reliquæ
corporis partes conficiuntur.

5. Jam vero si Fibrae sibi mutuo tan-

B 4 tum

32 PR. CAP.V. §. I. De natura
tum applicantur per parallelismum ,
tum Membrana est simplicissima , &
respectu fibrarum & nexus ; at si Fi-
bræ sibi invicem infaciuntur decursu
intertexto , tunc Membrana respectu
nexus non est adeo *simplex* ac præce-
dens ; verum si Fibræ spiraliter se mu-
tuò involvunt , tum Membrana est ma-
xime *composita* in omni sensu . Vidi-
mus porro , quid Vas *simplicissimum* es-
set , nimis illud quod componitur
ex Membrana minima & simplicissi-
ma , sicque convoluta ut Cavum for-
met ; substantia igitur hujus Vasis sunt
Fibræ simplicissimæ , nec amplius ca-
væ . Hic vero jam finis est Vasorum :
istud enim in infinitum non progre-
ditur ; quia nullus alioquin daretur
Corpori nostro terminus , ergo & nul-
la figura .

6. Explicata *simplicis* Membranæ na-
tura , considerandum nunc est , quid
sint aliæ Membranæ : dicimus igitur
eas non esse contextas ex Fibris sim-
plicibus ; sed , v. g. si fuerit *penultima*
Membrana , tum illa conflata erit ex
Vasis , quorum Membranæ sunt simili-
cissimæ , h. e. constantes ex Fibris ;
ergo tunc *penultima* hæcce vocanda
erit *Membrana minima vasculosa* : hu-
jus autem Vascula jam iterum & se-
cundum parallelismum , & decussa-
tim ,

Vasorum Corporis Humani. 33
tim , & juxta situm contortum sibi in-
vicem unientur .

7. Membrana vero *antepenultima* , quæ
jam sequetur , constabit ex Vasis , quo-
rum Membranæ non ex Fibris , sed
ex minimis Vasculis conflantur : hanc
etiam Membranam componentia Vasa
vasculosa (si ita loqui liceat) i. e.
quorum Membranæ ex Vasculis con-
fectæ sunt , juxta triplicem modum
superius expositum erunt intertexta .
Atque sic pergimus usque ad *crassissi-
mas* Membranas , quæ ex Vasis con-
stant multo majoribus , & , suo decur-
su itidem intertexto , majora adhuc
constituunt Vasa , nec non Viscera ,
& reliquias partes .

8. Hæc est omnium accuratissima
idea , quæ de natura *Firmarum* nostri
Corporis partium tradi debeat . Ex o-
mnibus autem ante dictis facile con-
cludimus , Anatomicos nunquam Vasa
minima , vel Membranas minimas ,
& multo minus Fibras minimas , ve-
rum solummodo partes , quæ ex hisce
conflantur , demonstrare nobis posse .

9. Porro ex iis , quæ hactenus allata
sunt , evidenter etiam deducitur causa
roboris & debilitatis in Homine . *Robur*
enim oritur in ipso a compressione , &
adunatione propinqua vasculorum mi-
nimorum , expulso suo liquido , con-

B 5 cre-

cretorum , atque sic fortiorum constituentium fibram ; ita ut plurimæ fibrillæ , sic adunatis omnibus horum omnium Canarium fibrillis , simul coalescant in unam fibram ; quæ igitur tanto plus robustior erit , quo plures canales , ac proinde plures fibrillæ simul concreverint ; & hoc ita continet in nostro Corpore : si vero dicta coalitio fiat in Vasibus minimis ; tunc erit tantummodo fibrarum robur auctum ; sed si in paulo majoribus Vasibus accidat ista concretio , tum orientur calli . *Debilitatis* autem causa est plane contraria præcedenti , ut sponte liquet.

10. Jam vero , quoniam *minima* Vascula Corporis , nec oculis nudis , neque vel optimorum microscopiorum ope , visibilia reddi possunt , hinc igitur accurato tantum argumento , ex majoribus Vasibus cognitis depromto , indagari queunt : quod quidem ut ostendatur , ad sequentia attendendum est.

A

I

B

I

Sit A unus pollex geometricus ; hic dividi potest in 100. partes geometricas adhuc conspicuas : tum sumamus ejus

eius $\frac{1}{100}$ partem , & sit B ; hoc posito ,


habeamus corpusculum cubicum , cu-
jus longitudo sit tantum $\frac{1}{100}$ pars pol-

licis ; dein (ut quidam fecere Physici)
talem cubum microscopio contemple-
mur , tumque hujus magnitudinem vi-
sam retineamus : si jam scire velimus ,
quot Vasa in hoc spatiolo contineri
possint , tunc rubros sanguinis globulos
microscopio quoque subjiciamus ; hoc
igitur pacto , si globuli unius sanguinei
magnitudinem cum amplitudine dicti
cubi conferamus , reperiamus (ut inve-
nerunt omnes qui hoc experimentum
fecere) diametrum unius globuli ru-
bri in Sanguine conspicui esse centu-
plo minorem diametro talis exigui cu-
bi ; qui vero cum supponatur habere
solummodo $\frac{1}{100}$ partem pollicis pro dia-

metro , hinc unius globuli rubri dia-
meter est tantum $\frac{1}{100}$ pars $\frac{1}{100}$ partis pol-

licis , i.e. si 10000 tales globuli jux-
ta se invicem ponerentur , unum pol-
licem geometricum æquarent . Porro
demonstrat EUCLIDES , quod qua-
drata superficierum sunt ut quadrata dia-
metrorum ; ergo in spatio quadrato pol-
licis contineri possunt millies centena
millia horum globulorum : etenim (ut

36 PR. CAP. V. §. I. De natura
res facilius exemplo pateat), ex hy-
pothesi , diameter unius globuli rubri
est $\frac{1}{100}$ pars $\frac{1}{100}$ partis pollicis ; globuli au-
tem in spatio pollicis continentur 10000 ;
ergo evidenter est inde sequi , quod
100000000 contineri poterunt in spatio
quadrato pollicis geometrici , quemad-
modum est figura C.



Hinc igitur facile quivis elicit nu-
merum Vasculorum (quorum quidem
singulorum diameter unius tantum glo-
buli rubri capax est , quæ in hujusmodi
spatio concludi possent .

11. Hæc autem sunt , quæ in uno qua-
drato pollice videre potest oculus opti-
mo adjutus microscopio ; & ideo tantum
conspicit , quia sunt opaca . Verum et si
millies centena millia Vasorum cernere
queat oculus in hoc spatio , is profecto
non parum hallucinaretur , qui talia Va-
scula minima esse & omnium ultima sibi
fingeret . Hi quippe Canaliculi , qui san-
guineos rubrosque devehant globulos ,

si

si sint arteriosi, dant alia rursus Vascula multo quidem ipsis *minora*, nempe Lymphatica, quæ liquorem vehunt de lato in angustum, ac proinde arteriosa quoque sunt; cum enim Venas Lymphaticas detexerint atque demonstraverint Anatomici, hæ profecto suas habere debent Arteriolas, unde Lympham accipiant, imo & hanc inde necessum est ut hauriant, sicuti mox ostendetur. LEEUVVENNOEKIUS autem demonstravit, unius globuli Seri pellucidi, sive Lymphæ primi generis, diametrum *sextuplo* minorem esse diametro globuli rubri sanguinei; cum hicce globulus, juxta ejusdem Authoris experimentum, in *sex* alias minores amplius rubros, sed pellucidos, sponte sua resolvatur.

COROLL. Ergo Vasa Serosa, sive Lymphatica primi generis, tanto *minora* sunt Vasis Sanguiferis ultimis.

At vero Perspirabile Sanctorianum est adhuc multo tenuius, ita ut (juxta modo laudatum Authorem, in *Epistola Physiologica 43. ad Societatem Reg. Britannicam*) sub spatio unius vulgaris grani fabuli contineri possint, ad minimum ex ejus calculo, 125000. oscula Vasculorum hocce Perspirabile in Homine sano perpetim & ubique exhalantium: ac proinde numerus in-

cre-

38 PR. CAP. V. §. I. *De natura*
credibilis eorum concluderetur in spa-
tio , ubi millies centena millia Vas-
orum Sanguiferorum (ut ostendimus)
eontineri queant . Quid dicemus au-
tem de Filamentorum Cerebri tenui-
tate , quæ fidem omnem superat ? De
qua re videatur iterum idem LEEU-
WENHOEK , in *Tom. I. Epistol. ad So-*
cietat. Reg. Britan.

12. At equidem si quis jam a nobis
quæreret , an hæc Vascula sint tandem
omnium *minima*? Ipsi sane fateremur ,
plurimum longissimeque adhuc abe-
sse . Supponamus enim , ut etiam o-
mnino verisimile est , unum ex Ani-
malculis in semine Masculino depre-
henjis , Hominis futuri rudimentum
esse basimque , (de quorum Animalcu-
lorum immensa parvitate rursus con-
sulatur citatus Author) ; si jam igitur
attendamus , quod in hoc Animalculo
forsitan adsint oculi , nasus , aures , cete-
ræque partes in Homine formato post-
modum conspicendiæ ; quod quidem
admittere si quis nolit , dicatque , ex
MALPIGHIO hæc ita facta nondum ad-
esse , sed omnia fieri dein incremento ,
non disputabimus ; verum hoc saltem
dabunt omnes , in hoc Animalculo par-
tem , quæ fiet oculus , diversam esse ab
illa , quæ fiet digitus , & sic porro : hinc
sequitur evidenter , omnia discrimina-

par-

partium, quæ in hoc Animalculo sunt, & tempore solummodo sensibilia fiunt, ex diversis distinctisque constare Vas-
is, quæ successu temporis semper ex-
tenduntur, ut augeantur & increcant. Cogitemus ergo, quantula debeant es-
se isthæc Vascula, & quam infinitus
eorum numerus in uno quadrato pol-
lice concludi posset?

COROLL. Ex his igitur patet, injec-
tiones anatomicas, utcumque subti-
les, Vasa *minima* nobis in conspectum
neutquam exhibere; licet enim inter
Recentiores SVVAMMERDAM, & post-
ea RUYSCHIUS, aliique, incœperint
liquida injicere in Vasa majora Cor-
poris, tanta vi, ut extra suum natu-
ralem situm ea distenderint, id tan-
tum profecto & arte & industria sua
efficere potuerunt hi Viri, ut hæc
Vasa, eorumque aliquot ramulos, con-
spectui melius præberent: liquet au-
tem ista Vasa non esse valde parva,
quandoquidem repleri possint adeo
crassa materie ac est cera, vel aliud
liquidum opacum injectionibus anato-
micas inserviens: cera quippe, quæ
ad istud negotium ut plurimum ad-
hibetur, raro quidem ad Vasa San-
guifera *minima* pervenire potest; ete-
niam injectio facta per Arterias, ex
mille vicibus vix pervenit semel in
Ve-

40 PR. CAP. V. §. I. *De natura Venas*, quomodo igitur ad minima omnium Vascula pervenirent? Nec si mercurio, aliisve rebus utamur, felius multo succedet negotium.

13. (a) Vasa porro nostri Corporis in genere vocantur proprie *Canales*, (1) qui ducunt Humores a Corde acceptos ad quodlibet internum & externum punctum Corporis, atque hic dicuntur *Arteria*; (2) qui Liquores referunt ab hisce punctis iterum versus Cor, hi vero nuncupantur *Venæ*; denique (3) qui Humores ibi & delatos & secretos, in se stagnantes aliquandiu continent, ut *Sinus*, *Vesiculae*, *Folliculi*, *Glandulae*, *Cryptæ*, vel quocumque simili nomine veniant. Ergo sub nomine Vasorum proprie complecti possumus omne tum Arteriarum & Venarum, tum quoque Vesicularum, Follicularum, Sinuum, &c. genus.

14. Canales autem in Corpore Liquida deferentes, variorum sunt generum diversarumque decrementum serierum, atque totidem, quot etiam sunt decrescentes globulorum nostros Humores constituentium series. Sic igitur quatuor proprie Vasorum genera distingui possunt; nempe (1) *Sanguini-*

(a) BOERH. *Ibid. Cap. 4. De Angiologia*, §. 52. pag. 387.

guifera ; (3) Serosa , sive Lymphatica primi generis ; (3) Lymphatica secundi generis ; quæ plurimas adhuc sub se incognitas easque decrescentes series includunt , donec tandem (4) ad Vasa Nerveum Liquidum devehentia pervenerint ; quæ quidem tanquam ultima Corporis nostri Vascula consideranda sunt .

Hic vero jam Vasorum Lymphaticorum examini paulisper immorari non inutile futurum arbitramur , ut pote quædam hanc in rem allaturi , de quibus apud Authores , ut plurimum aut nullatenus , aut jejune admodum fit mentio .

15. (α) Dicimus igitur primo , Vasa omnia Lymphatica , quæ ab Anatomicis huc usque descripta atque demonstrata fuere , meras esse tantummodo Venas ; & hoc inde probamus , (α) quod omnis Canalis in Corpore , qui ex angusto liquore deducit in latum sit Vena : verum talia sunt Vasa Lymphatica omnia haec tenus descripta ; haec enim ex minoribus rami in maiores sua devehunt liquida . Sed præterea (β) Vena est Canalis , in quem alii minores Canales se exonerant ; at vero si conspiciamus

(a) Id. ibid. §. 53. pag. 391.

mus Lymphatica , videbimus cuncta quidem ab invisibilibus oriri radicibus, tum gracilia admodum esse , sensimque majora ac majora fieri , **Canalium** scilicet lateralium accessione ; verum ex iis e majori trunco in lateralia Vascula nihil omnino derivari posse .
(γ) Omnes hujusmodi **Canales Lymphatici** habent Valvulas ; atqui istae quidem Venis solummodo competentur (uti notum est omnibus Anatomicis) ; nam Valvulae in Aortæ & Arteriæ Pulmonalis initio deprehensæ , non ad Arterias hasce , sed ad substantiam Cordis proprie pertinent . (δ) Vena est Vas , quod Liquidum versus Cor reddit , Arteria vero contra : sed si consideremus Lymphatica omnia , quæ a LOVVERO , VIEUSSENSIO , RIDLEYO in Capite detecta sunt , ea quidem suam lympham in Venas Jungulares deferunt : Lymphatica quoque Thoracis se exonerant omnia & in ductum Pecquetianum , & in Venas Thoracis majores : si deinde consulere libeat HEMSTERHUIYSIUM , GLISSONIUM , LOVVERUM , MALPIGHIIUM , & NUCKIUM , de Lymphaticis tum Abdominis , tum etiam partium inferiorum , advertemus utique , hos omnes Authores (ac etiam recentiores Anatomicos) nos docere , quod Vasa
hæc ,

hæc , vel in Venas majores varias , præsertim in Cavam , Venam Portarum , &c. vel in Cysternam Lumbarem , hinc in Ductum Chyliferum se- se pariter evacuant . Sie ergo clare patebit , Lymphatica , quæ ab Anatomicis huc usque descripta fuere , suum liquidum mediantibus Vasis majoribus Cordi reddere : hinc etiam & ex hac nota , & ex tribus superioribus con- cludere licet , ista Vasa meras esse tan- tummodo Venas .

10. At vero nulla est in Corpore Vena , quæ non debeat habere suam Ar- teriam , h. e. nullum Vas suum ho- morem versus Cor deferre potest , quin ab alio Vase liquidum hocce de- ferendum acceperit (si modo Venu- las Absorbentes , de quibus paulo infe- rius erit sermo , excipere velis) ; un- de sequitur manifeste , quod uti depre- hendimus in Corpore Venas Lympha- ticas , sic etiam adsunt Arteriæ ejus- dem generis . Siquidem Venæ , quæ Lympham acceptam ad Cor deducunt , eam a Lymphaticis hactenus descriptis receperunt (quemadmodum jam di- stum est) : atqui probatum fuit , hæc Vasa meras esse Venas ; ergo Lympham haurire debent a quibusdam Arteriis , sed ejusdem generis , i. e. Lymphati- cis ; quoniam hi Canaliculi Sanguiferæ esse

44 PR. CAP. V. §. I. *De natura*
esse Arteriæ non possunt: nam ubi de-
tegimus , oculorum ope , Vasis unius
Lymphatici principium , non statim e-
quidem existimandum est , ibi loci hu-
jus originem adesse , microscopia quip-
pe demonstrant , quod infinito mino-
ra adhuc dentur; atque ratio facile pot-
est institui inter Venam Lympha-
ticam ultimam oculo visibilem , & ul-
timam ope microscopii tantum conspi-
ciendam . Verum tamen hæc non est
adhuc *ultima*; ergo Vena Lymphatica
ex invisibili Vase debet oriri : quod
vero non oriatur ex Arteriæ Sangu-
iferæ trunco , istud vel inde probatur ,
quoniam , si hoc ita foret , tum globu-
li sanguinei , quos semper esse rubros
docet microscopium , in hanc Venam
deferri deberent ; cum autem tale quid
non accidat , hinc iterum luce meri-
diana clarius patet , quandoquidem Vas-
a quo Vena Lymphatica primum ori-
tur , ex Arteria Sanguifera humorem
accipiat Sanguine rubro multo tenuvio-
rem , hoc igitur esse necessario Arte-
ria Sanguifera multo minus ; ac esse
proinde Lymphaticam Arteriam *primi*
generis . Jam vero , cum illa prior con-
spicua non sit ubi desinit , tanto mi-
nus hæc posterior ibidem visui sepe præ-
bitura est ; quinimo vel optimi micro-
scopii ope deprehendi nequit , quippe
quæ

quæ sit pellucida : non secus enim in Pediculo , in quo Vasa pellucent , etiam si innumera exstare Vascula certo noverimus a posteriori , ea tamen , propter ipsorum pelluciditatem , nobis haud licet miscropio detegere .

17. Porro Sententiam nostram super hac re , paulo clarius exponere jam lubet . Ad omnem locum , ubi transmittitur Sanguis ruber ex Arteria in Venam , ibi nascuntur innumeri **Canaliculi** , & ad minimum sextuplo minores diametro Sanguiferarum Arteriolarum unde prodeunt : & illud quidem hunc in modum se habere docent Liquidorum globuli microscopiis inspecti ; quippe globuli rubri , qui non intrant in illa Vascula lateralia , si cum Lymphaticis comparentur , sextuplo maiores (ut supra notavimus) apparebunt . Atque sic dum applicatur Sanguis , per Arteriolam Sanguiferam delatus , ad hosce laterales **Canaliculos** , premitur tunc eo versus liquidissima pars Sanguinis , qua orbati (quoniam hæc in lateralia Vascula eodem tempore propellitur & intrat) globuli rubri recta transeunt in Venam Sanguiferam huic Arteriæ continuam . Porro **Canaliculos** hosce laterales , in quos transit liquidissima tantum Sanguinis portio , *Serosas* appellamus Ar-

te-

46 PR-CAP. V. §. I: De natura
terias , sive *Lymphaticas* primi generis ,
quia scilicet *Serum* , sive *Lympham* pri-
mi generis , arterioso motu , h. e. ex
lato in angustum deferunt . Postmo-
dum autem istæ Arteriolæ prolon-
gatæ , sensimque minores factæ , desin-
nunt singulæ in *Venam* sui generis ;
quæ quidem initio conspicua esse non
potest , ut sponte patet : cum adeo
tenuis sit ; sed pluribus ejusmodi si-
mul aggregatis , unumque truncum
multo majorem , dum ita concurrunt
& junguntur , confidentibus , tum de-
mum conspectui se præbet Vas illud ,
quod *Venam Lymphaticam* esse de-
monstravimus .

18. Verum existimamus præterea ,
quod Arteriæ *Lymphaticæ* , ubi in *Ve-*
nas sui generis transeunt , dent etiam
Canales laterales , eoque tanto ipsis
minores , quanto ipsæ minores erant
ultimis Arteriis Sanguiferis , unde fue-
runt ortæ (ut superius dictum est) ;
jam vero *Vasa* hæc *Lymphatica secun-*
di generis vocamus , & sic porro : sed
ignoramus , quot sint decrescentes ho-
rum *Canalicularum* series ; verum ta-
men istud eo usque pertingere , ut
Vasa Liquidum Nerveum devehentia sint
omnium *minima* sine dubio putandum
est . Quemadmodum autem *Sanguis*
ruber ex *Arteriis Sanguiferis* reddit in
Ve-

Venas Sanguiferas , sic Lympha pri-
mi generis revertitur quoque in Ve-
nam Lymphaticam primi generis ,
Lympha vero secundi generis in Ve-
nam Lymphaticam secundi generis ,
& sic deinceps . Hoc igitur pacto ,
juxtaque legem istam , omnes Humo-
res derivantur a Corde per Arterias
in Venas , & inde redeunt ad Cor.

19. Istud autem in Corpore nostro
ita fieri , taliaque *minima* Vascula ma-
ximo adesse numero prorsus erat ne-
cessarium ; quippe si Cutim , Tendi-
nes , Membranas , Ossa , &c. conside-
remus , parum equidem & vix quic-
quam Sanguinis rubri hisce in parti-
bus inveniemus ; nutriuntur tamen ,
& crescunt , non secus ac aliæ , ubi
Sanguis ruber abundat : verum hoc in
istis partibus fieri nequit , nisi ipsa-
rum Vasa Lymphatica repleantur , &
ex eo liquore lymphatico ad loca idonea
tantum applicetur & adunetur ,
quantum fuit deperditum ; quod au-
tem ut fiat , ad omnia puncta Cor-
poris applicari debet hocce Liquidum .
Quin & initio formationis Embryo-
nis , nullus omnino reperitur Sanguis
ruber ; attamen nullo alio tempore
tam cito magisque crescit Homo . Imo
quidem , si res examinetur , micro-
scopia nos docebunt maximam par-
tem

tem Corporis Hominis adulti , Sanguinis rubri expertem esse ; ac proinde ex Vasibus Lymphaticis & Nervosis esse conflatam . Denique notandum est , quod Corpus nec se flectere , neque flexibile permanere posset , nisi ex partibus infinite parvis constaret ; sed Vasa Sanguifera hujusmodi non sunt , verum potius illa quæ Liquidum Sanguine multo tenuius devehunt : quod quidem clare patet in Cute , quæ partium nostri Corporis omnium maxime flexilis est ; ibi enim (ut jam dictum est) vix Vasa Sanguifera , sed minora , Lymphatica nempe reperiuntur : etenim (ut sponte liquet) quo Vasa ad majorem tenuitatem reducuntur , eo facilius flectere possumus partem ex hujusmodi Vasculis contractam : verum ex his totum fere constat Humanum Corpus ; siquidem Membranæ majores ideo tantum sunt flexiles , quoniam ex minimis conflantur Canalibus , & sic de ceteris .

20 Etsi vero nesciamus , quot sint Vasorum Lymphaticorum genera , eorum tamem subdivisionem multum procedere , imo & longius quam vulgo putatur , diversasque illorum series eodem ritu , similique lege decrescere credimus : (atque sic existimandum est , quod , v. gr. cum Arteriæ Lym-

Lymphaticæ primi generis diameter , sit sextuplo minor Arteriæ Sanguiferæ ultimæ diametro , (quemadmodum istud probari per experimentum LEUVVENHOEKII supra notavimus) ita diameter Lymphaticæ secundi generis est etiam sexies minor diametro Lymphaticæ primi generis , ac proinde tricies & sexies Sanguiferæ ultimæ diametro tenuior) : quin & hujusmodi subdivisionem arbitramur pergere , donec omnia Vascula æqualiter parva , & Liquida æquale etiam modo divisa sint , ita ut (sicuti jam dictum est) hæc omnia tandem desinant in Vasa tam exigua , quam sunt Nervorum origines ; etenim Liquida & Vasa , Nerveo Latice Tubulisque hunc devehentibus tenuiora in Corpore nostro pari non putamus .

COROLL. Sic igitur hoc sensu Nervos ubicumque adesse clare patet ; & hi quidem oriuntur non solum ex Cerebro , Spinalique Medulla , verum etiam ex ultimis Lymphaticis Arteriolis ubique loci .

(Ceterum quando dicimus , Nervos ubicumque adesse , ac proinde totum ex his constare Corpus Humanum , clausula quedam adjicienda est ; nimirum , five isti Tubuli suum Laticem adhucdum deferant , five jam sint con-

Creti

50 PR. CAP. V. §. I. *De natura
creti simul & consolidati*: atque istud
quidem hoc sensu intelligendum est,
quod scilicet Embryo dum in Utero
formari incipit, meris solummodo
Nervis, sive *Vasculis minimis Liquida*
devehentibus, tunc temporis conflatus
sit; postmodum autem plurimi ex hi-
scē *Tubulis compingantur simul*, oc-
callescant, & consolidentur.) Succe-
su quippe temporis, (a) ex *Vasis* (1)
fiunt *Membranæ*, ex *Membranis* (2)
formantur *Cartilagines*, ex his tandem
(3) conficiuntur *Ossa*. Qua porro ra-
tione conflentur ex *Vasis Membranæ*
minimæ, *majores*, & *maximæ*, istud
equidem superius jam satis superque ex-
plicatum est; siquidem omnium primō
Membranam minimam ex *Fibris Soli-*
dis & oblongis, mere *terrestribus*, con-
fici; &c. clarissime ibidem evictum
fuit. Verum hic addimus, *Fibram quo-*
que fieri ex Vase (sive *Vas illud ex*
Fibris solummodo, sive ex *Membranis*
vasculosis constiterit (; idque triplici
via, scilicet, (1) si ex *Vase exprima-*
tur Liquidum, quod latus a latere di-
stare faciebat; (2) si *Vasis* hujus latera
comprimantur; (3) si eadem latera
coeant & concrescant inter se . Hinc
igitur, ubi simul adsunt tres istæ condi-
tio-

(a) Vid. BOERH. *ibid.* a §. 20. ad §. 24.
Cap. *De Osteogenesis.*

tiones , ex Vase fieri potest Fibra ; quæ quidem eo magis est elastica , quo cras-
fities ejus major est prima Fibra , quæ Vas illud cum aliis Fibris simul adunatis
componet . Sic , ex. gr. , supponamus
minimum Vasis in Embryone ex 1000. fi-
lamentis constare fibrosis ; si jam omne
liquidum exprimatur , latera compri-
mantur , compressaque simul coalescant ,
tunc ex hoc Vase una fiet Fibra ; ergo
ex mille Fibris una tantummodo confi-
cietur : verum elasticitas semper hæret
in unaquaque harum Fibrarum ; singu-
la rigitur adhuc sua vi debent agere :
hinc erit millies plus elastica , sive si-
tus tenacior ista Fibra , quippe quæ ex-
ullis 1000. conflata sit ; & sic porro . Ex
his itaque videmus , quod si Membrana
quædam hujuscemodi Vasorum textura
constet , ita ut plurima Vasa fiant Fi-
bræ , tum evadet solidior , durior , can-
didior , magis elastica , jamque sic erit
Cartilago ; hæc enim fit , quando multa
ex Vasculis quæ textura sua Membra-
nam constituebant , non amplius ma-
nent Vasa , sed concrescunt atque foli-
descunt : De qua re videatur MALPI-
GHIIUS , qui ostendit quo pacto fiat *stel-
la alba* in Ossibus adhuc membranosis .
In ista porro Cartilagine , quando ex
Membrana hunc in modum confecta
est , tum quædam strata fiant ex Vasis

C 2 com-

compressis , tum alia strata simul adfunt Vasorum non adhuc compressorum , at cetera jam compressa etiam comprimentium ; per hæc enim Liquida fluunt pulsum in hisce Vasis excitantia : sic igitur *lamellatum* formatur Cartilago , ita ut inter istas lamellas adsint semper Vascula Liquidum deferentia . Jam vero , si hæc Cartilaginea strata magis magisque comprimantur inter se , tandem evadunt corpus durissimum , compactissimum , siccissimum , quod quidem *Os nuncupatur* . Itaque perspeximus *Os* adunari & conflari primo quidem ex pluribus Membranis , quæ sibi mutuo *lamellatum* incumbenbant , & quarum nonnullæ jam erant consolidatæ , durasque hunc in modum conficiebant lamellas , inter quas tamen adhuc aderant intercapedines , ubi Vasa quædam suum Liquidum deferentia tuto recondebantur : quum igitur inter hasce lamellas alibi Vasa minora , & alibi majora decurrant , hinc in quibusdam locis brevi solidescunt , in aliis vero secus . In his quippe spatiis ubi maiores arteriæ perreptant , quantoquidem copiosius velociusque trajiciatur Liquidum , major etiam ibidem oritur distensio partium inter quas decurrunt , quam alibi ; unde fit , ut magis a se invicem removeantur hæc strata , inter

ter quæ maiores istæ transiunt arteriæ : hunc igitur in modum nonnulli sinus excavantur , qui proinde initio non aderant in Osse , sed diu post Ossis formationem in eo facti reperiuntur . Ossa porro solidiora sunt in medio , quam ad apophyses ; quoniam in medio semper prius incipiunt durescere : demonstravit enim CLOPTON HAVERS , quod in eo loco perreptet arteria maxima ; unde & maximus ibi pulsus , atque compressio vicinorum stratorum fit etiam maxima ; sic igitur ibidem omnium primo , ex Membrana Cartilago fieri incipit . Cum autem deinde eadem arteria comprimere perget , ideo quoque in medio compactissima , durissimaque Ossa extant ; at interim tenuissima sunt , quoniam statim ibi consolidantur nec amplius crescunt in infantibus , dum tamen interea reliquæ partes Ossium adhuc extenduntur . Si quis autem de hisce plura voluerit , consulat (1) THEOD. KERKRINGII *Osteogeniam Fœtuum* , nec non ejusdem Authoris *Anthropogenia Ichnographiam* ; (2) MALPIGHIIUM , in Operibus suis *Posthumis* , tum in *Epistola prima ad Sponium* , tandemque in tract. de *Ovo incubato , & de formatione Pulli* ; (3) LE CLERC , in Libro quem inscripsit , *Ostæologiæ exactè & complete* , ubi

C 3 egre.

54 PR. CAP. V. §. I. *De natura
egregia aliquot habentur de Ossium in
Fætu formatione Observata, quæ ve-
ro defumpta fuerunt ex prælectioni-
bus incomparabilis illius Anatomici
Parisini Professorisque Regii Jos. DU-
VERNEY. Hactenus igitur hæcce circa
materiem istam dicta sufficient, jam
vero ad propositum nostrum, ac e di-
verticulo in viam, redeamus.*

21. Notandum est denique Lym-
phaticas Arterias *ultimas*, dupli-
loco in Corpore patulis orificiis desi-
nere; scilicet, (1) partim extra Cor-
pus, nimirum ad Cutim; (2) partim
in Cavatibus intra Corpus. Hæc ve-
ro Lympha quæ in Cava Corporis ef-
funditur, partim quoque per Os, Na-
res, &c. foras exhalat, & in auras
evanescit; partim autem, postquam
munus suum implevit, a Venulis Ab-
sorbentibus (quas quidem non modo ad
Cutim, sed in omnibus etiam Cavis in-
ternis ubique pullulares suis confirma-
runt experimentis Animalis Oecono-
miæ scrutatores, præsertim vero BEL-
LINI & VIEUSSENS) recipitur, inque
Venas & ad Cor revertitur, ut Cir-
culationis Secretionisque munera ite-
rum obeat: quemadmodum enim,
juxta monitum HIPPOCRATIS &
experimenta SANCTORII, totum
Corpus Humanum *expirable est*, &
inspi-

inspirabile , proinde tum ipsa Cutis ,
tum omnes Membranæ in Corpore
Cava formantes , ubique & semper ;
quamdiu sanus est Homo , tenuissima
Liquida & exspirant & inspirant .

22. Ex his porro quæ superius al-
lata sunt luculenter evictum fuit ,)
nullum esse in Corpore punctum ,
quod non sit *vasculare* , prout etiam
experimentis probari potest . (α) Nul-
la enim Corporis est pars , cuius ex
vulnere quantumvis minuto , quale
infligi solet ab aciculis exilibus , mus-
carumque rostris , non effluxurus sit
liquor . (β) Dein docent microsco-
pia , pustulas illas fluido turgentes ,
quæ ex Cantharidum applicatione in
qualibet Corporis parte excitari fo-
lent ; nihil aliud esse quam congeriem
plurimorum exiguum Vasorum , in
unum tunc temporis exeuntium ; ut
etiam salia acida , alcalina , & ignis
ustio id satis probant . (γ) Istud quo-
que patet ex Perspiratione Sancto-
riana , quæ licet subtilitas adeo sit , ut
oculum microscopio armatum fugiat ,
ope tamen speculi Humido Perspira-
bili madescantis observari potest .

25. Imo ipsa Ossa constant ex con-
gerie plurimorum Vasculorum reple-
torum liquido , quod ex arteriis mi-

56 PR. CAP. V. §. I. *De natura*
nutis in illa deponitur : si enim cera
in Arteriam Subclaviam injiciatur ,
Offa Brachii statim rubescit ; cera
quippe injecta Sanguinem magna quan-
titate propellit in Periosteum , indeque
in Ossium superficiem , quæ , cum San-
guine turgeat , necessario rubescit : si-
mili ritu compertum est , Album Ocu-
li vasculare & sanguiferum esse ; mi-
croscopii etiam ope eadem est detecta
structura in Membranis tenuissimis ,
nec non in Ungium & Cornuum radic-
ulis , & in Partibus omnibus minutis .
Si autem istud ita se habet in partibus
tenuissimis , & a Corde remotissimis ,
quanto magis idem expectandum est
in iis quæ proxime illi adjacent .

24. Omne Vas habet cavitatem , &
parietes , qui conflantur ex minorum
structura inter se coherentium , quo-
rum latera iterum ex minoribus , & sic
deinceps (uti jam dictum est) ; donec
perventum sit ad Vasa minima & ul-
tima ; quorum cavitates adeo exiles
sunt , ut Liquidorum non nisi tenuissi-
morum ingressum admittant , atque
sic fere pro nullis haberi queant : Con-
firmatur hoc , (nempe latera Vasorum
majorum ex minoribus Vasculis
confecta esse .) 10. Experimentis RU-
YSGHII ; si enim cera rubra magno im-
pe-

petu injiciantur in Arteriam , ejus superficies undique rubescet . 20. In Animalibus laqueo strangulatis , Sanguis qui per Arterias Carotides fluit , impedito per Venas transitu , retrogreditur , inque Vasis *minimis* stagnans eadem inflat , & rubedine inficit . 30. Idem apparebit in Arteria viventis Animalis stricte ligata .

25. *Minima* Vasa determinatam habent magitudinem , alias in infinitum dividi possent ; adeoque & omnia *Corporis nostri* , & nosmetipso (uti superius jam dictum est) determinant .

26. Determinatio Vasculorum oritur a continua Aeris pressione in nostram machinam ; si enim excedat vim resistentiae quam habet Fluidum contentum , statim collabuntur Vasorum latera ; unde sequitur *consolidatio* : Sic Vasa quædam majora , scilicet , Vasa Umbilicalia , Foramen Ovale , Uraechus , &c. in Ligamenta paucis post partum diebus abeunt : Ita Ungues & Cornua oriuntur ex Arteriarum extremitatibus consolidatis : *Callus* etiam ortum suum plurimorum Vasorum compactioni debet . Si autem in *majoribus* Vasis hoc fieri solet , quanto facilius id in *minimis* accidere potest .

27. Latera autem *ultima* Vasculorum omnium *Canalium* , sive Arteriæ sint ,

C 5 sive

58 PR. CAP. V. §. I. *De natura*
sive Venæ , sive Vasa Lymphatica , si
ve Ductus Adiposi , sive quocumque-
Vasorum nomine veniant , sunt *nervosa* , & *Nervis* similia , & in iis nu-
tritio vera Solidorum fit .

28. Hinc & *ultima* Solidorum om-
nium in nostro Corpore Stamina sunt
mere *nervosa* , hæc enim conflantur
ex *Nervis* una compactis atque con-
solidatis per concretionem : (excep-
tis partibus illis , quæ ex coagulatis
Liquidis concrevere , quales sunt con-
cretiones polyposæ , lapideæ , &c.)
& hoc satis probari potest . Enim ve-
ro , ut detexit **MALPIGHIIUS** , ac de-
inde **LEEUVENHOEKIUS** , primum
Corporis nostri principium est tantum
Vermis , qui in Utero constituit pri-
mo Medullam Spinalem ; huic dein
accrescunt bullæ quinque limpidæ ,
quæ sunt Lobi Cerebri , quibus ac-
crescunt Oculorum Globi : postea ex
medio illius *carine* (uti vocat **MAL-**
PIGGIUS) emergit tubus incurvus ,
qui deinde quatuor acquirit inæqua-
litates , quæ sensim incurvantur , &
sunt Cor ; sensim dein nascuntur in-
tegumenta Thoracis , & Ossium ; de-
inceps formantur Hepar , Lien , &c.
tandemque oriuntur Stamina mucosa
totum Corpus involventi . Unde pa-
tet , hæc omnia Stamina solida pro-
cede-

cedere ex Spinali Medulla : & mirum est profecto , adeo dura corpora ex tam molli , ac est Medulla Spinalis , oriri posse principio ; sic enim ex mollibus Nervis indurescunt **Cornua** , **Ungues** , &c. Si vero moles **Cerebri** & **Medullæ Spinalis** conferatur cum mole reliquorum omnium Solidorum , horum moles non apparebit major quam ut oriri possit a **Cerebro** & **Spinali Medulla** . Porro , quum omnia sint *vasculosa* (sive Vascula quibus constant *Liquidum* contineant , sive non , h. e. , jam coalita sint) , omnia Vasa orientur a tendinibus **Cordis** , hi ex nervis filamentis constent , omnia quoque integumenta Glandularum , Viscerumque , ex integumentis Valorum Sanguineorum conflentur , Osfa fiant ex Membranis , sensim in Cartilagini , inde in Osseam substantiam indurescientibus , Membranæ etiam fiant ex adunatis Vasis *minimis* , quæ ex Nervis (quemadmodum istud sigillatim superius ostendimus) ; hinc liquido constat , quamlibet totius Corporis nostri partem esse *nervosam* : unde sequuntur duo **COROLLARIA**.

COROLL. I. Omne corpus agit in solidas Corporis nostri partes ; illud itaque impingit , vel in *Tubulos Nervosos*,

60 PROLEGOM. CAP. V. §. II.
veos, vel in partes ex Nervis conso-
lidatis concretas.

COROLL. II. Omnis ergo vis Me-
dicamentorum quatenus agit in Soli-
da, agit quatenus applicatur vel ad
Nervos, vel ad ea quæ ex Nervis coa-
luere.

§. II.

De Proprietatibus Nervorum.

T H E O R E M A T A.

THEOR. I. *N*Vasis minimis propor-
tione Solidi ad Fluidum con-
tentum eo magis increscit, quo Va-
sa tenuiora fiunt; hinc partes exterio-
res magis Solidæ sunt, quoniam co-
pissimis & tenuissimis constant Va-
sis.

THEOR. II. Quo minora in Corpo-
re nostro sunt Vasa, eo puncta con-
tactus inter latera Vasorum & super-
ficiem Fluidorum præterlabentium, mul-
tiplicantur magis in minimis; enim
eius fere globuli superficies impingit
in latera Vasorum.

COROLI. Hinc in maximis Vasis
minor est incursum, & vice-versa.

THEOR.

THEOR. III. Quo Vasa *minora* evadunt, magis vis Solidi in Fluidum increscit: Quo vero *majora* sunt, eo magis diminuitur illa vis; per *vim* autem hinc intelligimus facultatem communicandi motum: Demonstrat sic se habet. Constat ex mechanicis quod, ceteris paribus, vis, solide cuiuslibet molis sive massæ, ad vim alterius cuiuslibet massæ solidæ, se habeat ut moles ad molem; porro sicut vis, ita quoque resistentia unius corporis se habet ad resistentiam alterius ut moles ad molem, ceteris paribus. quum ergo proportio Solidi ad Fluidum contentum eo magis increscat, quo *minora* sunt Vasa, (ut in hoc THEOREMATE statuitur) hujuscē THEOREMATIS veritatis clare patet.

THEOR. IV. Vis Solidi *ultimi* in Liquidum contentum nihil aliud est, quam nisus iste quo se se coarctare conatur; per istum enim nisum, Liquidi motus promovetur: nam quo magis Vasa elongantur, eo magis vim suam in Fluida exerunt; idque hac de causa, quod, quo magis elongantur, eo magis quoque coarctatur eorum diameter: Quod sic demonstratur. Sint A G, & C H lineæ duæ parallelæ in infinitum protensæ, sintque A C B D sibi invicem parallelæ,

item



ducatur linea C B , & ex puncto D ad E linea D E ; patet ex EUCLIDE , (Lib. I. Prop. 35.) quod parallelogramnum A B C D æquale sit parallelogrammo C E D F ; item quod triangulum B C D æquale sit triangulo C D E ; latera vero parallelogrammi A B C D , & latera trianguli B C D . minora sint lateribus parallelogrammi C E D E , & trianguli C D E ; & sic porro . Idem quoque demonstratur de Cylindris & Conis , quæ fiunt circumvolvendo ista plana circa latera homogenea . Quum igitur omnia Corporis Vasa sint vel Cylindrica , vel Conica , liquido constat , ista Vasa eo magis coarctari , quo magis elongantur . Omnis ergo vis minimorum Solidorum in Liquida contenta , pendet a vi quæ Solida hæc sive Vasa coarctat .

THEOR. V. Vis omnium Vasorum majorum oritur ex vi aggregata minimorum ; omnis enim Arteria vim habet a late-

De Proprietatibus Nervorum. 63
lateribus suis, quæ composita sunt ex
minimis Vasis.

THEOR. VI. Omnis nutritio, sive
restitutio perditæ, omnis accretio, seu
augmentatio Fibræ solidæ, solummodo
fit in *minimis* Vasis, scilicet *Ner-
vosis*; non autem in *majoribus*, ut in
Arteriis, Venis, Glandulis, Vasis Lym-
phaticis, & Adiposis; quoniam aug-
mentatio & accretio *majorum* omni-
no pendet ab extensione *minimorum*
lateralium Vasorum, quæ sunt *Ner-
vosi* Tubuli. Nutritio igitur, quæ fit
applicatione partis cuiuspiam ad lo-
cum partis perditæ, contingit *mini-
mis* illis **Canalibus**, ex quibus *majo-
res* constant. Inde sequitur Medicamen-
ta omnia, qualiacumque sint, si-
ve *replentia*, sive *evacuantia*, sive *al-
terantia*, in partes istas *minimas* fo-
lummodo agere.


THEOR. VII. Omnis mutatio Fluido-
rum fit in Vasis *minimis*, Vasorumque
minimorum vi debetur; aliquatenus et-
iam pendet ab indole ipsorum Liqui-
dorum per illa Vasa fluentium.

THEOR. VIII. In omnibus lateribus
Canarium flexibilium hæret vis, qua
partes ad se mutuo *accedere* tendunt, ut
breviores fiant linea directionis quæ Fi-
bræ dicatur; eaque vis in omni Fibrae
puncto reperitur.

THEOR.

THEOR. IX. Illa vis, qua partes nituntur se *contrahere*, compescitur & sustinetur a punctis quibus applicatur Fibra, nempe, a Liquido distendente.

THEOR. X. Vis hæc vere & physice agit, eo tempore quo *quiescere* videtur Fibra. V. gr., in Fig. 1., sit A punctum quoddam fixum, cui suspensa hæreat chorda musica A B; sitque D pondus chordæ appensum, eamque plurimum distendens: In punto C applicetur leve aliud pondus E (propendens ex altera chorda in punto C priori affixa, & supra trochleam puncto fixo hærentem transeunte, ac ita sustinente hocce pondus), ea conditione, ut vis prioris chordæ superet vim ponderis hujus, ita ut ab eo



non omnino, aut saltem quam minimum infle.

inflectatur: His positis, abscindatur ista prior chorda inter puncta B & C, ac prope punctum C, cultro acutissimo, ita ut ab ictu motus nullus chordæ imprimatur: Tum pars superior A C sese statim contrahet, & pondus E aliquantulum supra trochleam elevabit. Patet igitur, quod chorda ante divisionem, vim suam contractilem exerceat, licet, propter pondus appensum, semet actu contrahere non potuerit. In FIG. 2., sine A B duo fixa puncta, inter quæ chorda sit quædam summopere tensa: Chordæ huic, ad puncta C D, affigantur duo fila C F & D E, quorum extremitatibus annexantur pondera F & E, quæ a mensa G sustententur, sintque H I duæ trochlearæ, quas chorda A B levissime perstringat: His positis, discindatur chorda eodem modo ac superius (in FIG. 1.) idque in punto K, in medio nimirum inter utraque hæc appensa fila: Tum ambæ partes K A & K B chordæ discissæ, versus fixa sua puncta A & B se contrahentes retrahentesque, pondera E & F supra trochleas H & I paululum elevabunt. Eadem est in Corpore nostro Fibrarum contractilitas, prout in Fibra transversim secta videre est: sese enim versus fixa

sua puncta contrahit : inde vero fit , ut vulnera Corpori inficta hiare soleant .

THEOR. XI. Vis illa , qua quælibet Corporis pars se se *contrahere* conatur , æquilibratur ab illa vi *antagonistica* : habent enim omnes partes illam vim *contractilem* ; cumque versus puncta opposita trahunt , sunt sibi invicem *antagonista* .

THEOR. XII. Vis hujus contractilis æquilibrium , in Corpore nostro , pendet ab æquali influxu Liquidi ejusque impulsu in omnes partes , ita ut eas æquabiliter distendat .

THEOR. XIII. Quicquid ergo mutat alicubi momentum influxus Liquidi , ita ut non æquabiliter fluat in omnes Canales ; & quicquid tollit æquilibrium resistentiae in Canalibus , tollit illud in toto Corpore : Hinc duæ sunt hujus æquilibrii causæ , *Canalium resistentia* , & *Fluidi influxus* .

THEOR. XIV. Simul ac in aliqua Corporis parte tollitur æquilibrium , mutationem quoque subeunt primum in illo loco , deinde per totum Corpus motus oscillatorii , sive motus illi qui fiunt dum Canales quidam amplius solito extensi e se contrahunt ; hocque pendet a *præalentia* resistentiae supra vim influxus Liquidi ; & destrui-

destruitur quotiescumque vim resistentiae superat vis influxus.

COROLL. Ergo virium omnium summa derivari potest in unam partem; adeoque in ea parte *motum* quemdam *norum* apparere posse constat.

C A P U T VI.


De Acribus.

1. **O** Scillatorii in Corpore motus æquilibrium nunquam magis tollitur, quam quum *Acre* quodpiam se insinuat intra Cavum minimi Vasculi, ejusque lateribus inhæret, ac fixum manet.

2. *Acria*, prout docent microscopia, constant ex plurimis stylis in acumen desinentibus, sive ex iisdem in aciem dispositis instar cultri, aut gladii, unde, in parvis punctis resistentiae, rodere, pungere, scindere, instar cunei, possunt.

3. Si *Acre* infixum sit lateri alicujus Vasculi, tota illa vis influentis Liquidi quæ in varia lateris puncta agere solebat, jam in punctum illud determinatur, in quo infixum est *Acre*; & hinc oritur convulsio illius Canalis: Quod quidem

68. PROLEGOM. CAP. VI.
dem ita demonstratur. Sit ABC Vas-
culi alicujus portio, in qua lineæ de-



scriptæ fluxum Liquidi per Canalem
determinant: Linea ex D ducta im-
pingit in E; quæ ex F ducitur impin-
git in G, & sic porro: Hæ autem
omnes lineæ hic ponuntur, tanquam
Liquida æquali vi influentia, & im-
pellentia puncta in quæ impingunt,
eaque æqualiter distendentia: quum-
que Canalis sit contractilis, ista pun-
cta sese æqualiter contrahunt, & im-
pulsui resistunt; sive conservatur
motus oscillatorius. Si vero suppona-
mus corpus aliquod *acre*, sicut HI
Vasculi lateri in puncto I infigi, ne-
quaquam ab influente Liquido remo-
veri poterit ex hoc puncto; quoniam
quantum premitur e parte BH, tan-
tum reprimitur a parte HC: Hinc o-
mne, quod inter BH continetur, Flui-
dum ruet in superficiem HI, & hæc su-
stinebit omnem illam vim, quæ a tota
lon-

longitudine ab I ad K ejusque omnibus punctis sustineri debuit ; tota vero vis quæ superficie H I imprimitur , communicatur puncto I , quod , quum **Canalis** flexilis sit , cedere debet , utpote plus pressum quam reliqua ejusdem lateris puncta : quumque **Canalis** elasticus sit , quo plus premitur , eo maiore vi se restituit ; unde fit ut motus oscillatorii *equilibrium* destruatur , Vasculumque in motus convulsivos agatur . Corpora quæ hunc effectum possunt producere , sunt precipue Sales *acres* , volatiles , & fixi , nec non Metallorum particulae corrosivæ , quæ lœdunt propter figuram quam habent , instar ejusmodi cunei H I , non autem quatenus Fluida , sed quatenus Solida afficiunt .

Ex hac demonstratione hæ sequuntur Veritates , seu **COROLLARIA** ; nempe .

COROLL. I. Quo particula infixa rigidior sive minus flexilis est , & quo altius infigitur , eo pejor & vehementior futurus est effectus : Hinc etiam fit ut Metallorum particulae in figuram *acutam* redactæ , v. g. Mercurius Sublimatus corrosivus , Præcipitatus ruber , &c. in Corporibus nostris effectus multo vehementiores obtineant , quam particulae quæ-

70 PROLEGOM. CAP. VI.

quæcumque ex Vegetabilibus , aut Animalibus depromptæ ; sunt enim hisce multo rigidiores , & , propter maiorem gravitatem , altius Vasorum lateribus infiguntur .

COROLL. II. Quo gravior est particula , eo vehementior effectus ejus erit , diutiusque permanebit , propter rationem modo allatam .


COROLL. III. Ceteris paribus , quo vis Fluidi in parte B H major est , eo vehementior est particulæ infixæ effectus , eoque altius infigitur : Unde sequitur , quod vis Cordis plurimum facit ad Acre hoc H I excitandum in motum stimulantem .

COROLL. IV. Ubi cumque Humorum in Vasa influxus cessat , ibi quoque perit tum Medicamentorum , tum venenorum vis omnis : Inde est quod **Causticum** ægris ad extremitatem redactis , & jam jam morituris (in quibus scilicet Humorum circulatio non nisi in partibus Cordi vicinis fit) admotum , vix ac ne vix quidem agit ; quem idem Corpori sano ac vegeto applicatum , intra breve tempus operatur .

COROLL. V. In Cadavere ergo , ubi omnia quiescent , particula infixæ nullum sortitur effectum .

COROLL. VI. Liquida in Vasis cylin-

lindricis , æque ac in conicis , per li-
neas parallelas feruntur ; ideoque par-
ticula acris infixa eundem in cylin-
dricis ac in conicis habet effectum ,
sed mitiorem in illis , quam in his .
Enimvero vis Liquidi supra particu-
lam infixam ad F , ut in FIG. 1. ,
eadem paululum versus G pressa , (quod
facile fieri potest , quoniam ab altera
parte non resistunt Liquida , ut in co-
nicis) transibit versus BD , ubi æqua-
le priori AC spatium inveniet . In
conicis vero non item ; nam , in FIG.
2 , Fluidum quod ex parte ADC ,
in particulam E F puncto F infixam
incurredit , post transitum inter GE ,
non invenit spatium æque capax , ac
illud ex quo fluebat ; adeoque hic ma-




ior nifus & pressio Liquidi , inter fluen-
dum

dum versus B , quam fuerat in *cylindro*. Ponamus , in FIG. 3. , contrario & inverso motu fluere Liguida in Vase *conico* ABCD , quod hic tanquam Vena considerabitur. Liquor fluens ex VB , non nisi paucis particulis impinget in particulam EF puncto F infixa , quam quidem versus D aliquantulum impellet , Liquido ab ea parte non resistente , & facile satis pertransibit ; quoniam spatium HE æque , imo & magis , capax est ac AB . Vis itaque impressa particulæ a Fluido incurrrente , in hoc casu fere nulla est : Unde *Acria* in Solida nullibi minus agunt , quam cum *cavo* applicantur ex angusto in latum abeunti ; talia vero sunt Vasa Venosa omnia.

COROLL. VII. Si *Acre* lateri Vasis externe hæreat , idem secuturus est effectus , ac si interne adhæresceret . Punctum enim C , (in FIG. sequenti) a Liquido influente & Canalem AB æquabiliter premente , necessario debet distendi ; ideoque particulam *acrem* adhærentem D premet , & contra eam nitetur . Quum vero hæc , ob pressionem vel Atmosphæræ , vel alterius causæ , cedere nequeat , necesse est ut Vasis latus penetret , motumque Fluidorum æquabilem impletat;

diat: Hunc in modum agunt Emplastra ,



omniaque Stimulantia externe applicata . Porro hinc inferimus , Medicamentorum actionem consistere in remotione impedimenti motus æquilibrii Fluidorum .

COROLL. VIII. A sola prædicta positione unius particulæ (reliquis omnibus in statu naturali manentibus) alterari vel perturbari possunt Secretiones , dilatari Canales , vis concussiva laterum augeri , motusque oscillatorius

COROLL. IX. Secretio est derivatio & separatio unius Liquidi ab alio . Omne Liquidum constat ex particulis minutis solidis ; & Liquidorum moles quam maxime mixta est , ut in Chemia patet ; confundi enim possunt variæ Solidorum species , quæ mixtæ Liquidum constituant , & ex iis rursus possunt fieri Solida . Ad Secretionem tria sunt necessaria ; 1. Applicatio Liquidi

D

ad

ad Canalium orificia ; 2. Orificiorum istorum determinata magnitudo ; 3. Vis sufficiens ad Liquidum intra Canales impellendum . Jam autem , si particula *acris* infixa efficeret ut Canales , v. g. Renales , plus solito dilatarentur , aut angustiores fierent , tum particulae Fluidorum majores aut minores solito per eos transirent : Hinc urinæ excretæ variatio ; quandoque enim limpida , quandoque crassa appareat . Si vero particula *acris* eo usque premeretur , donec Canalis latus perforaret , tunc Canali infligeretur vulnus particulam *acrem* magnitudinem æquans ; quod quidem per contractiōnem Fibrarum adeo patulum fieri posset , ut Fluidum in Canali contentum per hocce vulnus exiturum esset : Hinc etiam silicidia , salivationes , aliaeque quam plurimæ evacuationes non naturales , in Corpore nostro contingunt , nimurum , ubi vulnus Vasis sat magnis infligitur . Si vero foramen in Vasis aliquibus valde minutis (qualia sunt in Pulmone quædam) fuerit , ex tali vulnera Liquidum solummodo tenuissimum effluet , quod colore rubro minime donabitur ; quoniama ruptura sive apertura raro fit adeo ampla , ut transmittere possit globulos rubros sanguinos appellentes :

& sup-

& supponimus ejusmodi esse *Acria*,
quæ nequaquam globulos istos dissol-
vere valeant.

COROLL. X. Hinc tumor & Inflammatio-
matio oriri possunt in loco & parti-
bus vicinis ; Liquidum enim a Corde
pressum , & in latera Vasis impactum,
omnes particulas suas , quæ aperturæ
respondent , per eandem urgebit , hæ-
que partes , vicinas prementes , Tu-
morem simul & Inflammationem in
iisdem excitabunt . Sic in Morbis plu-
rimis observamus primo dolorem a pun-
ctura particularum *acrium* oriri . *Do-*
lor enim nil aliud est , quam separatio
partium fibrillæ nervosæ , vi *acris* par-
ticulæ perpatrata ; hancque separatio-
nem statim sequitur Tumor , quo ex-
orto , sive , quod idem est , effluxo li-
quido , cessat dolor ; ut in Podagra ,
Odontalgia , &c. observare licet .

COROLL. XI. Liquida quæ ibi hæ-
rent & stagnant , suam sequuntur na-
turam . h.e. inter stagnandum putre-
scunt , *acria* fiunt , & alcalinum vola-
tile præbent : istaque *acrimonia* Liqui-
dorum apta reddit illa ut Vasa nostra
dissolvant . Hæc vero lex in Urina ,
Sanguine , Sero Sanguinis , sed non
in Lympha locum obtinet; videmus enim
Homines hydropicos Ventrem liquido
& Vasis Lymphaticis extillato reple-

tum habere , absque ulla tamen *gan-*
græna in contentis Abdominalibus orta .

COROLL. XII. Denique patet ex di-
ctis , Medicamenta *Acria* effectus suos
in Corporibus nostris producere , par-
tim vi propriæ *acris* substantiæ &
figuræ , partimque vi motus Fluidorum
arietantium in illud *Acre* : quippe
quiescente Liquido , nullus sequitur ef-
fectus , utcumque aptum sit Medicamen-
tum ad effectus producendos : ita
enim scalpellum digito applicatum ,
licet satis aptum sit ad secandum , ni-
hil tamen agit , nisi impellatur , vel
ad agendum excitetur : atque sic *Acre*
a tremulo Liquidorum motu in actum
deducitur . Hinc ergo Medicamenta
agunt , & efficacia suæ substantiæ , &
Liquidí vitalis effectu ; qui vero effe-
ctus a quibusdam Medicamentis prius
pendet .

C A P U T VII.

De Viscidis.

I. *Viscidum* est quod Vasis lateri-
bus tenaciter adhærescit , ita
tamen ut , propter latam suam super-
ficiem , penetrare nequeat ; si enim ef-
set

set superficie adeo parva , ut Vasis latera perforare posset , inter Acria es-
set numerandum .

2. Lateribus Vasorum dupliciter ad-
hærere potest Viscidum ; 1. vel latera
tangit non nisi ex una parte , ut ad A ;
2. vel latera utrobique pertingit , ut
particula H. Viscidi hujus effectus , in
utroque casu , in FIGURA apposita de-
monstratur . (1) Sit A D particula que-



dam Viscida lateri Vasis adeo tenaci-
ter adhærens ad A , ut a Liquido po-
ne urgente , & secundum lineas E I ,
& C F incurrente , inde moveri ne-
queat ; hæc particula sustinebit om-
nem influentis Liquidi vim , quæ su-
stinentia erat a parte lateris inter A H
comprehensa , adeoque pars lateris ,
cui particula insidet , recedet versus
exteriora , utpote magis pressa quam
reliquæ partes ejusdem lateris , & quo
plus recedet , eo majori vi se restituet ,
unde tolletur harmonia sive æquili-
brium motus oscillatorii in illo Vase :
Hinc oritur dolor obtusus , qui in om-
nibus fere morbis a viscido oriundis

D 3 sen-

78 PROLEGOM. CAP. VII.

sentitur , scilicet a pressione ortum du-
cens . Supponamus jam (2) , viscida-
particulam H ita adhaerere , ut latera
Vasis utrobique pertingat ; ejus effe-
ctus considerari possunt , vel respectu
ipsius Vasis cui inhæret , vel respectu
Vasorum lateralium . Respectu prioris ,
ejus effectus erit obstrutio integra
istius Vasculi , simul & laterum di-
stensio ; particula quippe a Fluido re-
tro urgente eo usque propelletur , do-
nec fiat æquilibrium inter vim Liqui-
di & vim resistentiae quam habent
Vasculi latera ; quo semel effecto par-
ticula manebit immota Vasculi cavi-
tatem penitus obturans , simul & il-
lius latera distendens : quod autem æ-
quilibrium tandem aliquando futurum
sit inter vim Fluidi & resistentiam la-
terum , inde patet , quia vis Fluidi
continud minuitur , hæc vero resisten-
tia crescit ; & Fluidi vim minui ex
eo constat , quod , quo longius a Cor-
de recedit , eo tardius moveatur ; la-
terum autem resistentiam augeri ma-
nifestum facit cavitas Vasculi in pro-
gressu suo magis magisque semper di-
minuta , sive distantia laterum semper
minor facta : Vasculi enim conici por-
tio angustior non potest ad eandem
amplitudinem extendi , ac major por-
tio , nisi vis major adhibeatur .

3. Ha-

3. Hactenus de effectu quem habet particula *viscida* in ipsum Vas cui impacta est ; videamus jam quid factura sit respectu Vasculorum *laterali*. Particula *viscida* A B , Vasculo impacta , idemque obturans , impedit quominus Fluidum per illud transfeat , quapropter Fluidum vergit versus Canalem lateralem C D ; in hunc autem nequam ingredi potest quin simul dilatet ; ex illius vero

dilatatione augetur vis laterum contractilis , & consequenter motus osculatorius vehementior evadit , inde que Fluidi cursus velocior fit : & hinc est quod , in Febribus , calor statim post frigus advenit .

4. Ex dictis patet , maximas mutationes in Corpore oriri a Fluidis , quatenus in Solida impingunt , eaque destruunt ; non autem a Solidis tanquam prima causa Fluida afficiente .



C A P U T VIII.

De indole nostrorum Humorum, & speciatim Sanguinis.

1. **O**Mnes qui sunt in Corpore nostro Humores, originem ducunt a Sanguine; antequam itaque illorum naturam intelligamus, Sanguinis indoles prius est investiganda.

2. Omnia Liquida quæ fluunt in Corpore nostro, hac lege incurunt, ut a partibus in partes mota tandem ad Cor redeant. Liquidum autem illud quod per momentum in Corde hæret, vocatur *Sanguis*, qui distribuitur inde ad omnes Corporis partes, quæ hunc accipiunt pro diversis secretionibus peragendis; constat enim *Sanguis* partibus heterogeneis, ut adipe, bile, aqua, &c. quæ solummodo secernuntur, & immutantur: Sic igitur quicquid in Vasis Corporis separandum est, illud ex Sanguine separari debet. Porro variis modis materies Sanguinis investigari potest; verum quoniam simplicia facilius intelliguntur, ab iis incipiendum erit.

3. Sensu percipimus, Sanguinem in omnibus Animalibus, Hominibus, Quadrupedibus.

drupedibus, Piscibus, Volatilibus, Reptilibus, eumdem esse, & ex tribus hisce constare partibus; scilicet, (1) Ex aqua fere insipida, & aliquantulum odora, que igni exposita in vapores abit, foetidum spirans, colorans, solvens omnia Salia composita, & simplicia, ut & muriatica acida: unde sequitur eam non esse spirituoso salinam, ut nonnulli volunt Chemici; spiritus enim olea tantum, non sales dissolvunt; præterea spiritus omnes producuntur vel fermentatione, ut inflammabiles, vel putrefactione, ut macri sive salini; deinde aqua hæc sanguinea, uti & omnis communis, vi frigoris in glaciem concrevit, & calore admoto in aquam purissimam iterum resolvitur; spiritus vero vim frigoris maxime intensam illudunt, sicut videmus in liquoribus valde spirituosis.

(2) Ex ea parte quæ Serum Sanguinis appellatur: hæc vero pars est liquor qui in naturali suo statu non rubet, sed pellucet, turbatus autem flavescit, & qui vi frigoris non facile congelatur, at calor expositus, Ovi albuminis instar, indurescit, parte aquosiori avolata.

(3) Ex ea parte quæ toti rubedinem conciliat, & quæ, vi caloris non minus

D 5 quam

quam frigoris , in massam rubram , firmam , tenacem , *insulam* dictam , reducitur . Si autem *Sanguis* e *Corpo-
re* extractus , in vase quolibet per ali-
quod temporis spatium quiescere per-
mittatur , avolat primo pars aquosa , tanquam subtilissima , deinde separa-
tur Serum ; & quo copiosius hoc fit , eo minor evadit *insula* , & quidem post 3 vel 4 dies pars rubicunda penitus evanescit , in Serum scilicet con-
versa : hoc vero Serum , si *Sanguis* ex *Corporibus* morbis depromptus fuerit , quandoque nigro , flavo , alio-ve colore non naturali donatur . Hæc nu-
do oculo observantur : microscopiorum autem ope ulterius detectum est , * *Sanguinem* constare particulis *sphæri-
cis* Fluido limpido innatantibus , quæ in Vasis majoribus figuram suam sphæ-
ricam retinent , & rubræ apparent , sed versus angustias Vasorum ovales . fiunt , atque a rubedine ad flavescen-
tiam vergunt : præterea compertum est , unamquamque *spherulam* constare ex aliis 6 minoribus , & harum quamlibet ex aliis 6 , & sic deinceps ; qui-
bus ad invicem separatis ; statim eva-
nescit

* Confer LEEUVVENHOEKII experimen-
ta de Sanguine , in suis Epistolis ad Societ. Reg.
Britannicæ.

nescit color earum ruber . Ista separatio sit in *minimis* solummodo Vasis , & in hunc finem institui videtur , scilicet ut Succus Nervosus & Lympha subtilissima exinde fiant : hæc vero sphærularum separatio , quam rubedinis evanescens sequitur , per medicamenta vehementia procurari potest.

4. Ex dictis sequitur , Calorem non esse causam conservantem æquabilem fluorem Sanguinis : Calor quippe Sanguinem extravasatum inspissat ; præterea manet fluidus in Piscibus , quorum corpora sunt frigida ; si vero iste sit extravasatus , grumescit , æque ac humanus . Hinc causa fluorem Sanguinis conservans non est aliquid Sanguini proprium , si enim ex natura Sanguinis oriretur , ejus fluiditas tum maxima esset , ubi maxima reperitur Sanguinis copia , scilicet in Vasis majoribus : in his autem minor est fluiditas atque motus ; nam in his maxime coagulationes fieri solent , ut liquet in cadaverum Venis . Caloris si quidem absentia , concrescent Liquida in nobis ; hic vero Caloris defectus accidit ob deficientem simul Fluidorum motum . Igitur actio Solidorum , per quæ fluit Sanguis , est causa fluoris ejusdem ; cessante etenim Solidorum actione , cessat quoque Sanguinis motus : &

D 6 hoc

84 PR. CAP. VIII. *De indeo*
hoc sequenti experimento confirmatur. Si tempore brumali Ranæ torpidæ aut Vespertilionis arteriolæ , exhibito microscopio , conspiciantur , Sanguis in iisdem in grumos plane concretus apparebit ; licet vero animal igni admoveatur , ut calefiat , attamen Sanguis ille grumescens minime resolvetur , nec prius movebitur , quam Cor se contrahere inceperit ; eo autem moto movebitur etiam Sanguis , & tandem , post varios Cordis ictus , fluiditatem pristinam recuperabit : Hoc est experimentum LEEUVVENHOEKII . Inde concludendum est , calorem esse concurrentem causam motus Sanguinis , non vero primariam ; quia Solidorum actione cessante , cessant etiam & motus & calor , examinatis hisce , ordo requirit ut Sanguinis proprietates seu dotes investigemus .

5. Sanguinis proprietates sunt vel *generales* , quæ scilicet aliis Liquidis competunt ; vel *speciales* , quæ congruunt tantum quibusdam , & ideo petendæ sunt ex natura specialis uniuscujusque Liquidi . Omnes dotes quæ competit generali Liquido , obtinent etiam in speciali : hæ duæ autem pendent a regulis mathematicis . Dotes *generales* sunt , 1. Quod Sanguis (ut omne aliud Liquidum) potius

tius patiatur quasdam partes a se avel-
li , quam integrum molem simul mo-
veri . 2. Quod conditiones illæ adsint,
quæ ad fluorem necessariæ sunt ; scili-
cet , (4) Tenuitas maxima partium re-
lative ad nostros sensus , h. e. , quod
partes maxime exiles sint , adeo ut ea-
rum una seorsim tactum nostrum vi-
sumque fugiat . (5) Cohæsio inter par-
tes tam levis , ut facilime separari pos-
sint . (6) Omnia partium æqualis gra-
vitas . Ex illa vero gravitate singula-
rum partium , resultat totius commu-
nis materiæ gravitas : Hinc quia omnes
particulæ sunt graves , æqualiter se su-
stinent ; nam pressio & gravitas totius
materiæ oritur tam ex conamine ad
descensum , quam ab æquabili particu-
larum gravitate . (7) Motus projectilis ,
quo Fluidum a latere premente Vasorum
versus aliquod punctum defertur . Hæ
sunt autem generales Liquidorum pro-
prietates .

6. Liquida omnia in Corpore nostro
circulantia è Corde proveniunt ; in
quo autem multo magis spirituosa &
aquosa sunt , quam in reliquis Vasis:
ex Sanguinis enim e Corde immedia-
te deprompti unciis decem , plus quam
3 v. aquæ simplicis separari possunt ;
unde constat Sanguinem , maxima ex
parte , ex aqua componi . Hæc pars
aqua-

aquosa mutationem patitur a tribus causis profluentem ; scilicet à Salibus duplicitibus , Animalium nempe Vegetabiliumque ; a parte serosa & spirituosa ; a parte rubicunda ad calorem crescente . Aquæ particularum ultimarum & minimarum moles determinari nequit ; sunt enim æque pellicidæ ac Aer , ideoque visum nostrum , vel optimis microscopis adjutum , effugiunt ; atque ita sunt exiles , ut per meatus plantarum nullo modo visibiles transeant ; imo Antilia Pneumatica docet , eas transire posse per poros ipsi Aeri impervios : unde inferimus , maximam Sanguinis partem , ob fluiditatem & exilitatem , ad motum aptissimam esse . Gravitas Aquæ respectu Aeris , est ut 1000. circiter ad 1. sed priusquam ejus proprias facultates explicemus , exponendæ sunt proprietates Liquidis nostris peculiares ; hæ vero sequentibus quatuor lemmatibus comprehenduntur , vel potius ex iisdem pendent & inferuntur . (1) Cuilibet particulæ Fluidi nostri sua propria & determinata est moles , figura , & soliditas . (2) Cuilibet particulæ sua est vis determinata , sive momentum , quo sui ipsius , ab aliis particulis quibus adhæret , separationi renititur , & in concretionem tendit .

(3) Cui-

(3) Cuilibet particulæ sua est *specifica* gravitas. (4) In Liquidis nostris varii sunt gradus *motus projectilis*, quo fluere urgentur per rectam lineam. Porro quoad proprietates Aquæ, notandum est Sales volatiles Animalium aquæ innatantes, ipsa leviores esse; his enim eductis, Aqua ponderosior evadit respectu suæ molis: Jam vero e contra ab aliis Salibus immixtis, hæc ponderosior fit; & quo plus Saluum horum admiscetur, eo fluiditas ejus magis imminuitur, & tandem cum his concrescit. Inde patet igitur, Aquam, quæ quidem est proxima pars Sanguinis nostri, mutari, quoad suam gravitatem, maxime salinis partibus innatantibus; etenim quo istæ partes rigidiores, ac solidiores sunt, eo gravior redditur Aqua, & ad motum aptior: hinc etiam a salibus Aquæ nostri Sanguinis immixtis, variæ fiunt ibi mutationes.

7. Respectu quatuor lemmatum de quibus modo actum est, Fluidi nostri partes varie peccare possunt. Nempe, (quoad 1. lemma) i. respectu *molis*, idque *dupliciter*; possunt enim vel nimis *crassæ*, vel nimis *tenues* esse: proinde Medicamenta quæ in utroque hoc Sanguinis statu convenient, sunt Resolventia, & Coagulantia. Si cor-

pus

pus aliquod sanum , evadat morbosum
ex eo quod Sanguinis particulæ ni-
mis crassæ sunt , tum causa morbum
producens necessario erit interna , non
vero externa ; quicquid enim Cor in-
greditur , ex Venis in illud deponi-
tur ; quod egreditur , exit per Arte-
rias ; quicquid autem Venas intrat ,
vel ex Vasis Lacteis , vel ex Vasis
Lymphaticis , vel ex Vasis Absorbentia-
bus in eas influit : sed oscula Vasorum
istorum minus patula sunt , quam
confinia Arteriæ & Venæ , sive ple-
xus reticularis per quem Sanguis tran-
sit ex Arteriis in Venas , ut docet
microscopium ; ideoque particulæ per
Vasorum Lacteorum & Absorbentium
oscula in Venas , & inde in Cor de-
latæ , adeo exiles sunt , ut mole sua
Sanguinis fluiditatem impedire ne-
queant : quippe observavit LEEUVVEN-
HOEK , Chili particulas , ut & Lym-
phæ , multo minores esse partibus ru-
bicundis Sanguinis . Hoc itaque respe-
ctu , nullus fere cibus Corpori sano
noxius esse potest (ex sua mole) ;
cum particulæ nimis crassæ Vasa La-
ctea , & Absorbentia nequaquam in-
gredi possint : ideoque vitium si ad-
dit , ex causa sit mere interna . Por-
ro quum nimis eit aucta moles par-
ticularum , vitio existente in Corpo-
re

re nostro , tunc illæ ad ultima Vasa
devenientes transire non possunt ; hoc
autem continuo accideret , nisi Pul-
mones , pressione sua per Aerem fa-
cta , particulas istas adhærentes mi-
nuerent , donec Vasa ipsorum tenuis-
sima pertransiverint . Jam vero duo
sunt particularum nimis *auctarum* ef-
fectus ; scilicet , (1) Circulatio Liqui-
dorum impedita ; (2) Humorum , qui
secerni debuere , Secretio destructa : o-
mnis ergo medela molis *auctæ* respicit
Secretionem & Circulationem ipsam .
Ideo , quum Vasa ex Arteriis orian-
tur dupliciter , nimirum , vel ortu di-
recto , ut Venæ , vel obliquo seu late-
rali , ut Glandulæ , sive Vasa Secreto-
ria quæ Arteriis & Venis sunt minora ,
hinc si particulæ Sanguinis solito fiant
crassiores , illæ quæ secerni debent ,
Glandularum orificia nequaquam tunc
ingredi possunt , sed per rectum tra-
mitem in Venas transeunt ; sicque pe-
rit Secretio , Vasaque Secretoria , ob
defectum Liquidi distendentis , colla-
buntur : si vero tanta sit particularum
crassities , ut etiam Venas intrare ne-
queant impeditur Circulatio ; unde
varii oriuntur morbi tandemque mors
ipsa . Medicamentum igitur omne ,
quod ad molem particularum *auctam*
sanandam adhibetur , tale esse debet ,

ut

90 PROL. CAP. VIII. *De indole*
ut Sanguinis moleculas in Arteriolis
juxta Vasa Secretoria dividere possit :
quapropter efficacissima sunt Mercu-
rialia, & Salia globulos Sanguinis mi-
nuentia . Morbi , qui ex hoc vitio o-
riuntur , præcipui sunt Hydrops o-
mnesque Morbi inflammatorii .

Particulæ Sanguinis nimis *imminui*
dicuntur , quum ad tantam exiguita-
tem rediguntur , ut Vitæ ac Sanitati
tuendis prorsus impares sint . Hujus
vitii causæ sunt duæ ; una nempe ex-
terna ; altera vero interna ; quæ po-
test esse Liquidum quoddam nimis dis-
solvens Ejus effectus sunt duo ; scili-
cet , acceleratio Circulationis , & Va-
sorum Secretiorum arescentia . Nam
1. Sanguis nimium , quoad particula-
rum suarum molem , *imminutus* , fa-
cilius multo ex Arteriolis in Venas ,
quam in Vasa lateralia transire potest ;
ac proinde uberiori copia jam semet
in easdem confert : exinde vero ma-
gis dilatantur Venæ ; & quo magis di-
latantur , eo vehementius se contra-
huncunt ; unde sequuntur Circulationis
acceleratio , major partium attritus &
calor , Sanguinisque subtilisatio , e &
Vasis suis eruptio : 2. Quum in hoc
Sanguinis statu nullæ , aut saltem pau-
cissimæ , particulæ Vasa lateralia in-
grediantur , hæc non amplius exten-
dun-

duntur, sed exsiccantur, coalescunt, tandemque stamina fibrosa fiunt; unde sequuntur Phthisis, Marasmus, & variii Morbi Chronicci: itaque Reme-dia ad hoc vitium Sanguinis corrigen-dum aptissima sunt Coagulantia, qua-lia sunt terrestria, absorbentia, &c.

8. Vitium esse potest 2. in Humo-ribus nostris respectu figurae; & hac ratione duplice peccare dicuntur Sanguinis particulæ: vel enim nimis acres sunt, vel nimis viscidæ & ob-tusæ; licet revera figura earum obtu-sa nullos malos præducat effectus, ac proinde pro vitio non habuenda sit. Figura quidem sola determinat cor-pus; & hoc moveri dicitur magis ma-gisque, prout in unico puncto suos ef-fectus præstare potest. Figura porro respectu soliditatis considerari debet; itaque, quoad figuram, corpus agit solummodo in Solida; figura autem obtusa incidit in hæc quemadmodum jam demonstravimus; unde superius expositi oriuntur effectus. Jam vero figurae obtusæ sunt 1. assumpta corpo-ra; 2. in nobis ita redditæ, sicut eera oblonga, si digitis comprimatur, ro-tunda fit: hæc autem obtusa corpora non sunt in nobis valde rigida, sed potius lenia. Acres in nostro Sanguine particulæ, duobus ex fontibus pro-ve-

veniunt ; vel enim in Sanguinem extrinsecus derivantur ; vel in ipso generantur . Quæ extrinsecus adveniunt , vel per Pulmones introeunt , vel per Oesophagum , vel per Cutim externam sive per Vasa Absorbentia , intromittuntur , ut Cantharides , Mercurialia , &c. Quæ per Pulmones ingrediuntur , admodum malæ sunt , utpote subtilissimæ , solidissimæ , & fere immutabiles , ob structuram Pulmonum : Quæ per Oesophagum intrant , hæ vel in cibis continentur , vel sunt minerales venenosæ assumptæ , quæ semper eo peiores extant , quo duriores ; tunc enim in Corpore mutari nequeunt : Jam vero partes omnes quæ per Cutim transeunt , valde nocivæ sunt , quin & subtilitate magna donantur , ut docent Cantharides & Mercurius . Particulæ acres quæ in ipso Sanguine generantur , sunt illæ quæ , propter attritum nimis vehementem , ex obtusis & viscidis evadunt acres : iste vero attritus contingit ex dupli causa ; scilicet , 1. a Liquidis stagnantibus , indeque putredinem contrahentibus ; 2. a Liquidis nimis vehementer circumactis , absque alterius cuiuslibet Liquidi blandioris admixtione . Prior causa variis experimentis patet . Si enim Hominis sani Sanguis per aliquot dies , ut per quin-

quinque, in vase detineatur, foetidus, acerrimus, & urinosus plane evadet; unde liquet Sanguinem eodem modo ac Aquam stagnando putrescere. Promovetur quoque hæc putredo per casarem aut tempore adhibitum: hac enim ratione particulae in motu constituantur; unde fit ut, in se invicem agendo, *acres* evadant: si vero motus nimis violentus sit, tum, particulis aquosioribus exhalatis, illæ quæ remanebunt coalescent, tanquam frigore condensatae. Hinc ex nimio calore, æque ac frigore, oriuntur Sckirrhi; ex motu vero nimis vehementer, oriuntur Putrefactiones in nostro Corpore. Quod vero Sanguinis particulae *acredinem* ex Circulatione nimis violenta contrahant, hoc vel inde patet, quod si Homo sanus, & cibis blandis tantum utens, cuius excreta & retenta nihil acredinis habeant, sed admodum insulsa sint, febre ardenti corripiatur; Sanguis illius, ex accelerato Cordis motu, & transitu per minima Vasa impedito, valde pressus ac attritus, magis magisque *acer* evadet, præfertim si non adhibeantur Diluentia; donec ad istum tandem *acredinis* gradum pervenerit, ut Vasa rodat, Aphthasæque, & inflammations internas, non nisi magna Diluentium copia curandas,

pro-

94 PROL. CAP. VIII. *De indole*
producat. Hinc ex Circulatione nimis
accelerata eadem mala profluant, quæ
ex venenis acribus ingestis oriri so-
lent. Veteres autem Circulationis in-
scii, ideoque non valentes explicare
causam hanc Morborum, vocarunt
istud τὸ Θεῖον, h. e., aliquid *Divinum*.

9. Vitium oriri potest 3. in Liquidis
nostris respectu soliditatis; & hoc res-
pectu dupliciter quoque peccant San-
guinis particulae, scilicet, vel excessu,
vel defectu. Priusquam vero de his a-
gamus, nonnulla de Soliditate iu-
nere sunt dicenda. Per Soliditatem in-
telligimus illud corporis attributum,
quod Vacuitati proprie opponitur; &
unumquodque corpus eo solidius esse
ensetur, quo minores & pauciores
poros inter particulas suas interceptos
habet. Experientia compertum est,
corporum gravitatem eorumdem soli-
ditati semper proportionalem esse; ad-
eo ut, si duo sint corpora magnitudi-
ne æqualia, pondere vero diversa,
necessit sit ut plures sint vacui meatus
in uno, quam in altero. Porro notan-
dum est, nullum dari corpus mathe-
maticice solidum. Corpora solidiora mo-
tum suum diutius servant, quam illa
quæ sunt minus solida; hac nempe de
causa, quod vis eorundem motui re-
sistens, quæ a fluido oritur ambiente,

ce-

ceteris paribus , eorumdem superficiebus semper respondeat . Quapropter , quum in corpore magis solido plures sint materiæ particulæ , sub eadem superficie , quam in corpore minus solido , hinc omnino sequitur , corpora magis solida difficilius sitti , quam ea quæ sunt minus . Hæc vero de Soliditate in genere nunc sufficient ; verum hac de re plura vide superius in CAP. I.

Effectus autem particularum nimis solidarum in Sanguine duo sunt , scilicet , nimia Sanguinis subtilisatio , & Motus Oscillatori perturbatio . Quippe (1) particulæ nimis solidæ e Corde expulsa majorem ceteris motum concipiunt , (quantitas enim motus cuiuslibet corporis , oritur ex velocitate data molis) ; quapropter particulas illas , quibuscum erant simul expulsa , deferentes , in alias impingunt , atque hocce impetu easdem dissolvunt , & nimis subtile reddunt . (2) Liquidum nostrum e Corde expulsum , per lineas impingit , angulis acutissimis , in latera Vasorum : quod si æqualiter ubique fiat , æqualiter distenduntur Vasa ; si vero una linea impingat vi majori , quam altera , motus oscillatorius perturbatur : (Vide CAP. V. THEOREMATE ultimo .) Hoc autem necessario eveniet , si in aliqua linea particu-

96 PROL. CAP. VIII. *De indole*
ticulae contineantur nimis solidae ; hinc
enim Vasa extendentur & ampliabun-
tur , ac Liquidi cursus perturbabitur :
unde polypi saepe , aliaeque obstruc-
tiones facile accidere solent . Harum ve-
ro particularum nimis solidarum origo
externa est . Remedia autem quae istis
particulis adhibenda sunt , constare
debent moleculis aequi gravibus , ac
sunt Fluidi nostri moleculae . Quoniam
autem Animalium & Vegetabilium
particulae ultimo resolutae , ejusdem fe-
re sunt gravitatis cum Fluido nostro ,
sive ut 5. ad 6. , ideo earum usu Cor-
pus in statu fano permanebit , idem-
que status , si amissus fuerit , recupe-
rabitur . Quae vero particulae graviores
sunt , ut Phosphorus , Oleaque crassa
ex Animalibus deprompta , Sales fixi
ex Vegetabilibus extracti , Acida me-
tallica , nec non Sulphurea quaeque
graviora , supra dictos Soliditatis pro-
ducunt effectus , scilicet , erosionem ,
& extravasationem ; unde Morbi o-
riuntur inflammatorii : ideoque in sta-
tu isto morbo vitanda sunt . Alter-
um particularum Sanguinearum vi-
tium , respectu Soliditatis , est quod
non adeo sint solidae , ac esse debent:
Hoc vero pendet a minutione , quae
est augmentum superficie , & mini-
marum particularum aggregatum , quo
pun-

puncta contactuum multiplicantur .
Hujus vitii effectus est *inertia* , i. e. ,
ineptitudo ad motum , seu impoten-
tia istis particulis movendi alias soli-
diores : unde sequuntur lentores & co-
haesiones . Corpora siquidem inertia
motum minorem , & majorem resi-
stentiam habent , & ideo imperia sunt
movendis aliis corporibus solidioribus .
Effectus autem *inertiae* in nostro cor-
pore , est minor actio Fluidi in Soli-
dum , & Solidi in Fluidum . Liquida
vero in nobis dupli ratione fluorem
suum servant ; 1. propter corpus ali-
quod liquidum diluens ; 2. ob exter-
nam causam partes dividentem . Cau-
sa porro *inertiae* hanc , seu impoten-
tiam & ad motum ineptitudinem ,
producentes (unde lentores & cohæ-
siones) non tam multiplices sunt , ac
vulgo creditur ; Corpus enim nostrum
ita est constitutum , & ejus Vasa tam
exilia , ut non nisi minutissimas mo-
leculas intromittant : atqui minutissi-
ma corpora sunt semper solidissima ,
nec ulterius dividi queunt , nisi sum-
mo adhibito labore ; hinc molem ac-
ceptam diu retinent , & ob angustiam
sue superficiei non facile coalescunt .

C A P U T I X.

*De Vitiis in tota Humanorum mole simul
spectata hærentibus.*

1. **A**bsoluta jam particularum Fluidi nostri historia , ad totam molem considerandam nosmet accingamus . Ut Corpus aliquod nomen Fluidi mereatur , requiritur , 1. ut sit in particulas admodum minutas divisum ; 2. ut illæ particulæ facillime ab invicem separari possint , nullaque sit cohæsio superstes . Porro Fluidum nostrum dupliciter peccare potest ; nempe , 1. nimia particularum suarum cohæsione ; 2. earumdem dissolutione nimia . *Cohæsio* nimia , quæ aliter *Lentor* dicitur , oriri potest vel nimia particularum singulorum magnitudine , vel a nimio earumdem ad cohærendum conamine . Hic *Lentor* , si contingat in Vasis majoribus , Cordis Auriculis , aut Cerebri Ventriculis , brevi oritur *polypus* ; qui est mafsa solida , corium porcinum repræsentans , & eo solidior , quo diutius duravit : sæpe invenitur polyposa substantia in capitibus eorum qui laqueo interierunt : in eis enim *Sanguis* , reflexu suo per Venas Jugulares impedito , in

ra-

ramos laterales regurgitat : hi vero nimis angusti sunt ad totam molem transmittendam ; unde fit , ut pars solummodo tenuior transeat , repulsa crassiore , quæ , ex novi Sanguinis adventu ; tandem canales istos obstruit . Si Lentor in Vasis minoribus Arteriosis contingat , oritur inflammatio , quam comitantur pulsatio & dolor : pulsatio autem inde fit , quod Sanguis lentescens , qui in Arteriolis hæret , a Sanguine pone urgente protrudatur : dolor vero nascitur ex eo quod Vasculorum latera plurimum distendantur ; unde doloris sensus excitatur : hoc in casu Sanguinis in Arteriolis hærentis pars tenuior quandoque per Vasa lateralia minima exhalat , nimirum si non sint obstructa ; aliter enim hæcce liquidior Sanguinis portio putrescit . unde pustulae , gangrenæ , &c. Si autem in Lymphaticorum orificio primo seu lato Lentor sit , colligitur ibi materia quedam gypsea sive dura , ob rationem modo dictam , scilicet , quia per laterales ramos , hic loci copiosos , defluit pars liquidior ; ideoque polypus hic fit albus : si vero ad Lymphaticorum extremitatem protrudatur , oritur hydrops simul & œdema ; Vasis utpote Liquido suo pellucido distentis , quæ si rumpantur , tunc illico nascitur leucophlegmatia

seu anasarca : Humoribus quoque non raro , ob situm & stagnationem , ac redinem contrahentibus , *apostemata* & *gangrena* fiunt : si vero Lentor ille in extremitatibus Vasorum istorum haeret , massa secernitur limosa & turbida , putrefactione Vasa dissolvens , tabemque , nec non ejus effectus producens . Si in Vasis Nervosis fiat Lentor , oriuntur Morbi Nervis proprii , forsan *apoplexia* quoque , sive sensuum abolitio : istud vero raro accidit , quia Nervorum Liquidum , seu Spiritus Animalis , nunquam potest , vel caloris vel frigoris vi , concrescere , ob soliditatem fere immutabilem : Nervi vero externi afficiuntur , compressi scilicet a Vasis Arteriosis nimium distensis ; unde *insensibilitas* & *immobilitas* non raro oriuntur .

2. Causæ Lentoris in Liquido nostro sunt variae . Prima quidem est *exhalatio* partis fluidioris ; hinc in Venis Sanguis tamdiu manet fluidus , quamdiu in illas sece exonerant Vasa Lymphatica . Remedium autem est restitutio Liquidi avolati . Secunda causa est quilibet *caloris* gradus naturalem Corporis nostri calorem excedens ; & qui , quantus sit , Thermometri ope cognosci potest . Calor hic , partes tenuiores & spirituosas in vapores difflan-

flando, Sanguinem inspissat; & revere-
ra talis *Lentor*, remanente calore,
nullo artificio tolli potest, nec spiri-
tu salis, nec oleosis, similibus ve;
eiusmodi enim *calor* partes tenuiores
evehit, etiam vase manente clauso,
ut patet in Sanguinis digestione; inde
videmus omnes causas nimis *calidas*
in Sanguine, intra Corpus, pro effec-
tu suo habere *inspissationem*. Hinc in
omnibus Morbis inflammatoriis, ni-
mius calor maxime cavendus est, ut
in Variolis, &c., metu scilicet *inspis-*
sationis. Idem *caloris effectus*, nem-
pe *inspissatio*, locum habet in omni-
bus nostris Liquidis, exceptis *excretis*,
ut Urina, Sudore, & quibusdam *se-
cretis*, ut Succo Pancreatico, Bile,
Saliva, Muco; quæ quidem aliquo
modo coalescunt, sed iterum facile
dissolvuntur. Tertia causa est *frigus*
immensum, quo congelari potest A-
qua, ita & Liquidum nostrum. Si e-
nem Hominis sani Sanguis Aeri frigi-
dissimo exponatur, separabitur pars
crassa in *insulam*, & aqua sive fe-
rosa congelascet, ut patet in homini-
bus frigore extinctis: Attamen omnes
Sanguinis Humores *secreti* non facile
congelantur, ut Aqueus Humor O-
culorum, qui nunquam, Bilis & Se-
rum, quæ difficulter, verum Saliva

facile congelari potest ; Urina autem partem suam spirituoso salinam in medio fluidam confervat , dum pars aquosa congelatur . Morbi ab hoc frigore mirifici pendent : Sic observamus , carnes congelatas , succedente calore , putredinem contrahere ; hinc enim naturalis nexus resolvitur , atque Liquidum alcalinum volatile evadit hac obstruktione ; imo sunt aliquando in Norvegia ita frigore correpti homines , ut nasum sibi avellant emungendo : Morbus autem ille frigore induetus , vocatur imprimis *Scorbutus* . Quarta causa est *quies* Humoribus superinducta , quæ in iisdem fere omnibus , præsertim arteriosis , coagulum producit : si enim homo sanissimus subito metu corripiatur , orientur statim in ipso pallor & frigus , atque , si passio vehemens sit , diuque perseveret , stupor , Liquidi defectus in Cerebro , nec non motus privatio ; hinc obstrunctiones , sive coagulationes Humorum , in Visceribus quibusdam contingunt , quæ , si in Corde fiant , palpitationem producent ; idque usu venire solet nominibus animi deliquia sæpe passis : hi enim , postquam per aliquod temporis spatium , forsan horæ quadrantem , sensu motuque privati jacuerint , inter refocillandum , incredibilis

in tota Humorum mole, &c. 103

biles plerumque anxietates circa Cor-
dis regionem, & ut plurimum ad Ar-
teriam Pulmonalem, percipiunt: Cor
quippe tunc temporis, motu accele-
rato & quasi reduplicato, magnam
Sanguinis copiam in Ventriculis suis
Vasisque superincumbentibus stagnan-
tem, inde pellere conatur; & hinc
fit illius *palpitatio*, propter Sanguinis
copiam advenientem, & exactam ex-
pressionem negatam: si vero moles
Sanguinis inde removeri nequeat, o-
ritur polypus, tandemque mors ipsa.
Quinta causa est corporum plurimo-
rum Sanguinem *coagulantium* admis-
sio. Sic Acida omnia igne violento
ex Mineralibus destillata, Sanquinem
subito *coagulant*; lentius Spiritus Sa-
lis, omnium citissime & validissime
Spiritus Vitrioli, Nitri, & Aluminis,
qui, si in Venas injiciantur, Sangu-
inem illico *coagulant*; isque, propter
laxitatem & amplitudinem Venarum,
in Cor usque & Pulmonalem Arte-
riam devolutus, brevi Animal suffo-
cat (a). Jam vero observandum est;
quod omnia Acida Sanginem non
inspissent; Nitrum enim & Sal Mari-
nus illum diluunt, ut & Acetum,

E 4 alii-

(a) De hac re conferri merentur Experimen-
ta clariss. FRIEND, in ejus *Emmenologia*
Cap. 14.

(a) aliquique Spiritus acidi Vegetabilium ; sed Salia alcalina quandoque eundem inspissant , & aliquando diluunt : ex his vero spiritibus quidam eum coagulant , ut Spiritus Vini , *Aqua vitea* vulgo dictus , qui , licet a nonnullis pro tenuissimo diluente habeatur , in venas tamen injectus omne Liquidum vitale coagulat . Sexta & ultima causa est *motus* nimius , itemque in minimis Vasibus *obstructio* : In omni quippe obstructione Arteriæ , distenditur Vas , tandemque obstruktione perseverante rumpitur ; unde sequitur liquidioris Sanguinis partis *extravasatio* . Hæc aptitudo sive proclivitas ad *coagulum* suscipiendum , non est quid morbosum , sed proprietas Sanguini in statu fano hærens : Docet enim experientia , quod quo magis sanus est aliquis , eo citius & facilius Sanguis ejus extravasatus lenorem inducat ; quum e contra ægri quam plurimi Sanguinem fluidissimum ha-

(a) Istud quidem de modica dosi , Ore assumpta , atque de hujusmodi Spiritibus non concentratis , sed dilutis ac simplicibus , tantum intelligas ; aliter enim Sanguinem *inspissant* , imo & *coagulant* ; ut probant Experimenta ejusdem FRIEND , de *Aceto* in Venam Canis Jugularem injecto , &c. Vide *Emmenalog.* Cap. 14. sub finem .

habent , præsertim leucophlegmatici : imo hominum nonnullorum in mortis agone versantium Sanguis nequaquam coalescit . Omnis causa illam *concretionem* promovet , quæ vehementissime agit in Sanguinem : homines enim qui exercitiis violentis dediti , musculos suos plurimum mouent , Sanguine crasso donantur . Excretiones porro & evacuationes nimia Sanguinem *inspissant* in majoribus Vasibus , unde subsidentia contingit in minoribus , & hinc atrophia nascitur ; quoniam in Lymphatica lateralia non ingreditur Liquidum : quum igitur tali quid accidat in omnibus evaeuacionibus immodicis , non mirum est hæc mala subsequi .

3. Hactenus de nimia Sanguinis *tenuitate* ; proximo jam loco ejus nimia *fluiditas* consideranda est : Quum vero hæc pendeat a nimia partium Sanguinis tenuitate , de qua antea dictum fuit , necesse non est ut in ea explicanda tempus teramus : Sufficiat observare , fluiditatem Sanguini nostro , si modo opus sit , conciliari posse vi Salium volatilium , ex unguibus , cornubus , medulla , aliisque Animalium partibus extractorum ; Aqua etiam , larga satis copia assumpta , optime resolvit , attenuat ,

diluitque ; ut & acria Ligna Guajaci , Sassafras , &c. , itemque Salia omnia fixa ex Vegetabilibus , & Mineralibus , præsertimque Metallis , quæ , quo graviora , eo meliora : hinc si Aurum redi posset fluidum , absque gravitatis diminutione , vel molis incremento , optimum esset *Dissolvens* ; atque illud ita laudatur (a) *Oleum THEOPHRASTI PARACELSI.*

(a) Confer. JOAN. ERNEST. Tractat. de *Oleis chymice destillatis* , apud HARTMANN. *Prax. Chymiatric.* pag. 528.

CAPUT X.

De gravitate Sanguinis.

Gravitas corporum nihil aliud est , quam nifus eorumdem descendendi versus Terræ centrum ; & est semper proportionalis corporum *Soliditati* . Sanguis dum in corpore circulatur , calidus est & rarefactus ; extractus autem e Corpore frigescit , & inspissatur : ideoque gravitatem illius , respectu molis , exacte non possumus investigare . Sed in variis regionibus . tam frigidis , quam calidis , Sanguis , simul ac e Corpore profluxerat pon-

de-

deratus , sese habuit ad aquam sal-
fam ut 26. ad 25: Serum autem se
habet ac eandem aquam ut 300. ad
253. , adeoque Serum gravius est San-
guine una sexta circiter parte ; quod
quidem videtur experientiae adversari ,
quum Serum *insulae* supernatet :
hoc autem inde procedit , quod partes
insulam componentes , vi frigoris , si-
mul & attractionis mutuae , in massam
magis solidam & compactam coale-
scant ; prout hoc inde patet , quod *in-
sula* ista & Serum simul sumpta non
occupent tantum spatium , quantum
occupabant ante separationem ipso-
rum . Sic igitur levitas in Sanguine ,
respectu aquæ falsæ , hactenus non
est comperta ; is enim ponderatus ubi-
que aquam falsam pondere excedebat
una vicesima sexta parte : si vero da-
retur , oriri pusset ab aquosis , oleosis ,
spirituosisque omnibus ; hæc enim
aqua falsa sunt leviora . Jam vero a
particulis vegetabilibus consolidatis ,
& mineralibus , Sanguis gravior fit ,
quod optime conspicitur in Scorbuto
lento ; Sanguis enim in eo casu com-
pactus & salinus plurimum est , Uri-
na vero gravissima respectu sani homini-
nis : hoc autem oritur ab abundantia
Salis muriatici , qui in debita copia o-
ptimus est , & ad vitam omnino ne-

cessarius ; si vero quantitatē excedat ,
pessimos producit effectus : ideo cor-
pora quæ Sanguine graviora sunt , ut
Sales fixi , integre per Urinam ex-
cernuntur ; ita Sal Marinus prodit
immutatus in Urina ; ejus autem usus
est ad Sanguinem diluendum . Porro
gravia Medicamenta venenosa fiunt ,
quantenus Vasa destruunt atque Se-
cretiones nimis augent .

C A P U T XI.

De Motu Projectili.

1. **P**Er Motum Projectilem intelligi-
tur Motus Liquidorum per Vasa
Circulatorius : quumque ab eo morbi
plurimi , vita , sanitas , & senectus
pendeant , operæ pretium erit videre
quid augeat , quid-ve diminuat , aut
depravet huncce Motum .

2. Augetur 1. Motus iste ab ipso
Corporis motu aducto : Sic enim ho-
mine currente , plurimum crescit ; oriun-
tur quippe tunc temporis pulsus fre-
quens , sudor , sitis , anhelitus , omnia-
que febris symptomata ; quæ quidem
cito evanescunt , homine quiescente : at
si in cursu ultra vires persistat , omnia
præ-

prædicta vehementiora evadent, simul & inflammationis species totum Corpus occupabit; hujus autem hominis Urina, a Medico conspecta, ardenter febricitantis esse putabitur: Porro, si hoc exercitium diutius continuetur, morbus revera orietur. Itaque a solo Motu Projectili aduerto, absque mutatione ulla Fluidorum interna, morbus accidere potest. Sic etiam ex eodem Motu diminuto sæpenumero nascuntur morbi; hujus vero diminutionis causa plerumque est tristitia: sic, ex gr., si homo satis hilaris, inter epulandum, nuntium accipiat magni alicujus infortunii, subito percussus dolore, pavidusque, suis humoribns stagnationem inducit; unde statim oriturus est morbus, nisi magna alicujus liquidi diluentis copia prohibeat. Pari ratione plurimorum morborum causam esse vel incrementum, vel diminutionem Motus Projectilis Fluidorum comperimus.

3. Primaria causa hujuscce Motus Projectilis est Cor. Si liquida nostra a Canalibus, per quos fluunt, non sisterentur, neque Canarium continuitas interrupta esset, tum semel mota semper inoveri pergerent; sed datur resistentia in Canalibus, iisque non sunt continui; prope Cor enim liquida Sinum Venosum

110 PROLEGOM. CAP. XI.

sum & Auriculas ingrediuntur , ubi , per aliquod temporis spatiolum , vis & continuatio fluxus quiescunt : quum vero corpus nullum se movere possit ex semetipso solo , necesse est ut liquida nostra motum de novo accipiunt a causa quadam externa , vim suam ibi exerente ubi motum amiserint : causa autem ista est Cor , quod Musculus est solidissimus , figura sua repræsentans helicem , cujus ope , (ut docent Mechanici) vis debilis incredibilem resistantiam superare potest ; itaque Cor est sola & sufficiens causa omnis motus .

4. Præter hanc causam primariam , datur quoque & alia , nempe Vasorum *elasticitas* , sive vis illa , qua eorumdem latera a Liquido influente distenta sese statim restituunt , & quidem in pristinum statum : Fluidum enim a Corde , vi magna , in Arterias adactum , easdem statim distendit ; hæque , quum elasticæ sint , vi Cordis cessante , sese statim restituunt , & quidem eo majore nisu , quo magis distentæ fuerunt .

5. Sanguinis e Corde exitus , sive Motus ejus Projectilis , ipsius Cordis *actioni* , non vero motui intestino Sanguinis (uti nonnullis visum est) debetur : quod quidem ita probatur . Liquida , quæ

quæ loco angusto contenta & coercita , inde , vi motus intestini partium suarum , per foramen apertum pro rumpunt , & in Motum Projectilem aguntur , tripliciter suum consequuntur effectum ; nempe , (1) si partes in motum satis violentum cieantur vi caloris : sed calor sufficiens ad istum motum producendum minime datur in Corpore nostro ; licet enim Sanguis e Corpore extractus , promoveatur ad eundem caloris gradum , quem habere potest dum in Vasis nostris continetur , nihil tamen inde sequetur , præter ipsius putrefactionem : Præterea Pisces Sanguinem frigidum habent , qui nihilominus circulatur ; & eo ca lefacto ipsi moriuntur. (2) Liquidum , in circumstantiis supra dictis positum , in Motum Projectilem agi potest vi partium suarum *elastica* ; nimirum , si Liquidum aliquod elasticum in vase undique clauso condensaretur , aperto foramine statim pars quædam ejus prodiret : id autem minime locum habet in Sanguine ; quoniam elasticitas ab Atmosphæræ Corpus ambientis pondere compensatur , adeo ut sepe nequaquam expandere possit ad Motum Projectilem producendum : Porro Sanguis in nostris Vasis contentus , eadem vi suæ elasticitatis expandere nequit ,

nequit, ob incumbentis Aeris exteri-
ni pressionem; ergo, quum sit elasti-
cus, secundum corporum elasticorum
indolem, vim suam exerceat ubi mi-
nor est resistentia, h. e., versus Cor
premit; in hoc autem continetur ejus-
dem Fluidi portio, quæ agit æquali-
vi; ac proin nullus inde sequi potest
effectus. (3) Vi fermentationis produ-
ci potest liquidi Motus Projectilis:
Jam vero ebullitio Sanguinis, quæ fer-
mentatio dicitur, nunquam observatur
in Corde.

6. Circulatio autem in genere San-
guinis tripliciter acceleratur; 1º. a Cor-
dis iactuum frequentia; 2º. ab aucta
Cordis labore; 3º. ab aucta mole san-
guinea, manentibus iisdem Cordis iacti-
bus; quia tunc tota massa eodem tem-
poris spatio eundem circuitum perfic-
it, quem absolvere debet minor co-
pia: velocitas enim pendet a pressione
unius particulæ in aliam.

7. Hæc vero Circulatio retardatur,
1º. ab imminuta vi Cordis; 2º. a Va-
sis laxioribus & minus elasticis; 3º. ab
ineptitudine ipsorum Liquidorum ad
motum.

8. Sanguinis itaque velocitatem au-
gent, (1) omnia quæ vim Cordis ad-
augent; quod quidem fit, 1º. robur
ipſi conciliando, 2º. simul reddendo
Liqui-

Liquida ad motum idonea . Porro nulla causa Sanguinis velocitatem auget , nisi Cordis contractionem augeat : excitant autem & augment eam quecumque genus *nervosum* validius efficiunt ; qualia sunt olea aromatica , item corpora metallica , alcalina caustica , salina , nec non crystalli , &c. quæ Circulationem promovent , non quia fermentationem Sanguini inducunt , sed quia Vasa Nervosque stimulant , motusque oscillatorios adaugent . (2) Animi affectus violenti & calefacientes , ut ira , furor , &c.(3) Muscularum exercitatio diuturna ; nam ex frequenti muscularom actione , motus Sanguinis in Vasis inter musculos valde promovetur . (4) Respiratio aucta , quæ , si saepius iteratur , maxime facit ad accelerandum motum Sanguinis . Causæ vero Circulationem retardante , sunt modo traditis contrariae .



CA-

CAPUT XII.

De Medicamentis.

QUUM, pro variarum partium natura & Morbis, varia requirantur Medicamenta, ideo examinanda sunt horum *nomina, classes, natura, vires, & actiones*; in quibus agendis ordin duplex observari potest: nempe, vel (1) enumerando ordine alphabetico singula quæque Simplicia; una cum eorum viribus, usus, &c., hæc vero methodus, tanquam minus utilis, rejicienda est: (2) simul enumerando *omnia illa Medicamenta*, quibus eadem attributa, eosdemque effectus convenire ex Historia Naturali constat. Hac autem methodo GALENUS primus usus est, (& post hunc alii plurimi, ut ORIBASIU^S, ÆGINETA, ac deinde omnes Botanici) reducens Medicamenta omnia ad certas Classes; atque sic Vires Medicamentorum omnium quadruplices esse statuit; nimimum, (1) Vires medicas elementarias, (2) materiales, (3) singulares sive speciales, (4) substantiales incognitas, experientia vero sola cognoscendas.

Quid autem 10. per Vires elementarias

rias voluerit , statim apparebit , ejus mente cognita : Dicit enim , illud quod in rerum Natura corpus unum ab alio distinguit , vocari *Qualitatem* ; ergo tot essent *Qualitates* , quot diversa corpora : Hæ porro sunt quatuor , juxta **G A L E N U M** ; scilicet , Humidum , Siccum , Calidum , & Frigidum ; quapropter corpora omnia ad quatuor Classes reduxit . Quum vero iste *Qualitates* raro seorsim & singulatim inveniantur , ideo quatuor illarum combinationes , *Temperamenta* dictas , addidit ; nempe , Calidum & Humidum , Calidum & Siccum , Frigidum & Humidum , frigidum & Siccum . Corpora quæ unam ex quatuor simplicibus possidebant , *Elementa* vocavit ; quæ porro exinde quatuor videbantur , scilicet , Aer , quia siccus ; aqua , quia humida ; Ignis , quia calidus ; Terra , quia frigida . Ex hisce supra dictis videbantur ipsi omnia corpora componi , & pro ratione illarum *Qualitatum* agere : Idem affirmabat de Medicamentis ; hinc illorum Vires in quatuor Classes distributæ fuerunt . Ex his quatuor , pari quantitate commixtis , conflata , *Elementaria* vocavit , ut & Corpus nostrum elementatum ; & a prædominio cuiuslibet ex Elementis Morbus oriri afferuit .

ruit. *Gradus* quoque quatuor esse voluit, secundum quos hoc, illud-ve Elementum prædominaretur: Medicamenta quæ Corpori sano applicata, nullam mutationem in eodem producebant, *primi gradus* esse dixit; ex. gr., Violæ & Rosæ frigidæ & humidae in *primo gradu* dictæ sunt: hæ tamen in frigido morbo nocere queunt. *Secundus gradus* est, quando Medicamenta Corpus sanum aliquo modo afficere vel mutare, non autem lædere possunt. *Tertius gradus* est, si vis eo accedat, ut sanum Corpus non destruat, sed ipsi noceat, idque morbo sum reddat: & hæc Medicamenta adhibenda censuit, quando Morbus in eodem gradu ægrum occupat. *Quartus gradus* est deleterius; v. gr., in Euphorbio, Venenisque ceteris, quo, si applicentur Corpori, illud ita afficiunt ut mors inde sequatur.

Vires materiales vocavit *2o. GALENUS* eas, quæ pendent a proportione quadam inter ipsas & Materiam existente: hinc etiam distinguebat Vires materiales ab elementariis, tanquam Corpori proprias; illasque manifestas appellavit, quia compositæ sunt; & composita magis conspicua sunt quam simplicia: Materia enim componitur ex duobus Elementis, ad mi-

minimum ; ideoque conspicua magis est , quam ipsa Elementa . Secundum hanc expositionem ; Herba emolliens dicitur laxare & emolire simul , Viribus materialibus ; calefacere vero , vi clementari , sive calore .

Vim specificam 3o. pendere voluit ex his duabus præcedentibus , variis modis inter se combinatis ; eaque Medicamenta hac vi prædita esse voluit , quæ peculiari alicui parti propria sunt , aut peculiari alicui operationi destinantur ; talia sunt Purgantia quæ *specificum* liquorem , ut Serum , Bilem , Menses , &c. evacuant ; tum quæ cicatrisant , quæ carnem generant , &c. Hæc omnia agere dixit propter vires *specificas* .

4o. Per Vires *substantiales incognitas* , intellexit eas , quæ nulla alia ratione investigari possunt , præterquam experientia ; talis est vis Opii soporifera , quæ neque ex ejus humiditate , neque calore , neque siccitate , nec frigore , sed experientia tantum probatur .

Itaque patet ex dictis , errasse GALENUM in eo , quod per illas *Qualitates* solas conatus sit omnium Medicamentorum effectus explicare ; quod quum non potuerit in Antidotis , Alexipharmacis , Topicis , &c. hæc *divina & incognita* vocavit :

cavit: Præterea deceptus est in eo, quod tantum quatuor *Qualitas* admiserit; aliæ plurimæ licet enumerari possint.

2. Medicamentum est corpus, quod *Corpori nostro viventi applicatum, statum ejus morbosum tollit*. Jam vero Medicamentum omne considerari potest, vel (1) quatenus in *Solida* agit; vel (2) quatenus in *Liquida* sola operatur, vel (3) quatenus in *utraque* simul vim suam exerit: Proinde ad has tres Classes generales omnia reduci possunt.

Porro quæ agunt in *Solida*, hæc operantur, vel 1º. resolvendo & destruendo eorum texturam & cohæsionem, vel 2º. Canales obtruendo, dilatandoque, & eorum laterum figuram mutando.

Quæ autem agunt in *Fluida* sola, hæc agunt, vel 1º. oroprietates eorum alterando; vel 2º. eadem e *Corpo* educendo. At vero cuncta fere Medicamenta tam in *Solida*, quam in *Fluida* vires suas exerunt; vix enim alterari possunt *Fluida*, quin simul aliqua ratione afficiantur *Solida*, & vice versa: attamen actiones Medicamentorum, quatenus ad *Fluida* spectant, considerari possunt non consideratis iisdem quatenus *Solida* afficiunt, ac etiam vice versa; pari omnino ratione, qua Mathematici corporis longitudinem

dinem considerant solam , nulla ratione
habita vel superficie , vel soliditatis ;
licet seorsim non existimant . Ut autem
sequentia clarius intelligantur , præmit-
tenda sunt THEOREMATA quædam .

THEOR. I. Levissimus solus *motus*
externus , & pure *mechanicus* , potest
omne mutationum genus in *Corpo-*
re nostro producere , quod adhuc Me-
dicamentum ullum produxit . Suppo-
namus enim hominem quemdam per-
fecte sanum esse , pulmamque in ejus
Naribus leniter agitari , non poterit
ille uno momento se continere abs-
que motu *Corporis convulsivo* , ut fle-
xura , sternutatione , &c. Si autem
consideremus , quanto muscularum
numero , vi , & nisu fiat *sternutatio* ,
admirabimur causæ levitatem ; hæc
enim actio peragit motu violento
muscularum scapulæ , abdominis , dia-
phragmatis , thoracis , pulmonum ,
&c. præterea , si actio perseveret , o-
rietur liquidorum expulsio universa-
lis ; nempe , expressio lacrymarum ,
muci , salivæ oris , palati , & asperæ
arteriæ ; item exercitio urinæ , fudo-
ris , &c. Hincigitur , absque ullo Hu-
mido , Sicco , Calido , Frigido , Sul-
phureo , Salinis , & similibus , potest ,
applicatione sola *plumæ* ad interna
Narium , induci omnium Solidorum
& Flui-

& Fluidorum motus in Corpore nostro . Jam vero si sternutatio talis diu

pertet , ut solet ab assumptione ^I 100 partis grani Euphorbii intra nares , orientur graves convulsiones diuque durantes , ut & cephalalgiae , urinæ ac alvi excretiones involuntariae , vomitus , æstus febriles , aliaque dira phænomena , tandemque mors ipsa .

THEOR. II. Si jam tanta mutatio in Corpore nostro fiat a *levi* & *externo motu* . quid non accidere potest , si Nervi interius afficiantur ? Hinc igitur patet , levissima corpora summpere corpus nostrum *mutare* posse . Licet vero nullum corpus agere queat in Solida , quin Fluida simul afficiat , & vice versa , distingui tamen possunt Medicamenta , in ea quæ *immediate* sive *primario* Solida ; Fluida vero *mediate* & *secundario* afficiunt , ac vice versa .

THEOR. III. Ex hoc mechanico motu omnia nostra Liquida ; quamvis nihil iis interne accidat , *mutari* posse patet , prout ex casu modo memorato]constat .

THEOR. IV. A solo *motu* Spirituum Animalium *mutato* (absque ulla impresione a corpore vel externo vel interno , contactus ope , communicata) oriri queunt omnes effectus , quos in re medica

dica quilibet Medicamento adscribere potest. Supponamus enim hominem, ceteroquin sanum, irritationi generis, nervosi, sive affectui hypochondriaco, obnoxium; huic, in optima sanitate, si detur occasio iræ, metus, tristitiae, summa statim orietur mutatio in ejus statu: nam quod antea per poros Cutis ad pondus circiter quinque libra- rum, horarum 24 spatio, perspirare solebant, jam, mutato cursu, per Res- nes viam sibi querit; quin etiam inde turbantur Vasa trajectoria, secre- toria, & excretoria. Quis autem no- vit aliquod Diureticum quod tantis pol- leat viribus? Præterea liquor iste per hanc viam excretus, non est Urina, sed mera Lympha, sale, spiritu, odo- re, & colore Urinæ in Corpore pe- ne relictis. Pari ratione homines in- terdum in diarrhoea ex metu conji- ciuntur. Ex ira etiam magna copia Biliis quandoque rejicitur. Sudores quo- que ex metu saepius oriuntur. Vomi- tus in quibusdam excitatur ab objecti nauseabundi aspectu, vel fabule nau- seabundæ narratione; his enim pri- mo oritur ructus, deinde nausea, ex- pressio salivæ, convulsio ventriculi, vomitus, & nonnunquam alvi sudo- risque excretio. Omne quoque eva- cuationum genus solo Corporis motu

F *insueta*

insueto solet excitari : sic prima vice
navigantes , sive jejuni , sive cibis re-
ferti sint , pallidi primo fiunt & an-
xii , paulo post nutant , vertigine cor-
ripiuntur , tandemque vomunt . Inde
patet , Machinam nostram ita com-
paratam esse , ut licet illi nihil a quo-
vis corpore contingat , tamen ex mo-
tu mechanico Spirituum perverso , iis
omnibus effectibus affici possit , qui a
Medicamenti produci solent .

THEOR. V. Motus ille tam mirifi-
cus excitari potest in nobis a parti-
culis corporum *insensibilibus* , Machi-
næ nostræ applicatis : ita nonnulli ho-
mines , simul ac ingrediuntur cubicu-
lum in quo felis , *mus* , caseus-ve fue-
rit , licet non in conspectu , tamen
in sudores conjiuntur , & quando-
que lipothymiam patiuntur , quidam
vero concidunt ; & hystericae mulie-
res ex odore moschi statim male se
habent .

THEOR. VI. Medicamenta dividi
possunt in partes adeo *minutis* , ut
imaginationis vim pene eludant , quæ
tamen singulæ retinebunt vires quæ
quidem erant antea propriæ toti mo-
li : hujus rei tria dabimus exempla ,
ex triplici Regno , nempe , Minera-
li , Animali , & Vegetabili desum-
pta .

{ 1 } Con-

(1) Constat experimentis a Metallorum exploratoribus saepius factis, quod si granum unum *Auri*, per fusionem, exacte admisceatur cum Argenti libra, singula grana Argenti participabunt aliquid *Auri*; indemque etiam eveniet, si millesima pars granii *Auri* cum dicto Argenti pondere commisceatur: attamen Aurum, in tantas minutias redactum, vires & proprietates Auro particulares retinet; & istud exinde patet, quod istae minutiae in unum iterum corpus vere *aurum* colligi possint: Hoc etiam alio modo probatur. Si enim *Auri* gran. 1. in Aquæ Regalis unciis x solvatur, nulla erit liquoris gutta, quæ non habeat in se particulam *Auri*, ut ex sapore constabit: ideoque, cum nulla sit, in eo casu, proportio inter liquidum & metallum, necesse est, ut metallum in tenuissimas partes dividatur; sed interim manet immutatum, ut ex ejus præcipitatione, & in *Auri* formam reductione patet. Si vero, loco *Auri*, sumatur *Cuprum*, res adhuc fiet clarior; *Cuprum* enim totum menstruum imbuet viridi colore. Ex dictis ergo patet, quare corpora metallica dissoluta & in liquidorum formam redacta, tam pertinaces producant effectus, nimirum, quia singulæ particulæ figuram

F 2 suam

suam servant, rigidæ & immutabiles permanentes, quod quidem in Vegetabilibus locum non habet.

(1) Ut vero sciamus in quam *minutus* partes dividi possint ea quæ ex Regno Animali desumuntur, experimentum a BOYLEO in hunc finem institutum exhibebimus. Ille *sericeum* involucrum *Bombycis* evolvebat, idque 300 ulnas longum comperuit esse; idem vero ex duplice filo constare detectit LEEUVVENHOEKIUS: erat igitur 600 ulnas longum, & duo tantum grana pendebat; atque ita validum erat, ut duo grana suspensa sustineret. Ex his autem ac similibus exemplis facilime colligi potest magna partium Animalium divisibilitas. Hanc etiam demonstrant Odorifera omnia, præsertim *Castoreum*; id enim bilanci impositum, per quatuor diem spatium, nihil ponderis amisit; interim tamen in sphæram trium circiter pedum exhalationes continuas & odorem insignem spargebat, novoque aeri expositum, eumdem, intra duo minuta, suo inficiebat odore, sine sensibili ponderis jactura.

(3) Ex Vegetabilibus, si sumatur Extracti Croci gran. i. & in Spiritus Vini uncias x. injiciatur, totum Spiritum tinget, e guttula qualibet odorem & sapo-

saporem croceum præ se feret . Ex dictis igitur patet , partes Medicamentorum eo usque comminui posse , ut captum nostrum superent ; & quidem , licet hæ partes sint diaphanæ , sensusque fugiant , nihilominus effectus notabiles in Corpore nostro producere valent : Quippe pro exemplo potest esse *Vitrum Antimonii* , cuius si scrup. j. Vini libr. viij. infundatur , & digerantur simul , Vinum adeo vehementes emeticum evadit , ut ejus unciaæ iv. epotæ Ventriculum in motus ita convulsivos adigant , ut pene invertatur ; cum tamen de Antimonii Vitro , quod in fundo vasis manet indissolutum , nihil omnino decessisse deprehendatur : Idem etiam obtinet in *Greco Antimonii* , &c. (a)

(a) In unoquoque igitur Medicamento quendam constat inesse *Spiritum* , qui ab Alchymistis *Filius Solis proles Ignis* , *Ignis internus aerum* vocatus est , nunc autem *Spiritus Redior* vulgo dicitur ; ex quo quidem solo dependet tota Medicamenti vis & *énergie* . Hic vero Spiritus (cuius oleum rei) quantitate adest tam exigua , ratione totius mollis , ut fidem omnem superet . Confert omnino , de hoc Spiritu AUCTORIS nostri *Elementa Chemiae* , Tom. I. pag. 41. 42. 43. 174. 258. & Tom. II. pag. 10. 11. edit.

F 3 THEOR.

THEOR. VII. Medicamentorum particulæ prout variis applicantur Nervis , varios effectus habent . Pro exemplo sit *Turbith Minerale* , quod ex Olio Vitrioli & Mercurio conficitur ; si enim hujus semi-granum naribus indatur , omnes Secretiones violentas reddit ; si detur interne , languorem & angorem excitabit ; si vero majori quantitate , ut ad 8. gran. ad hibeatur , fecesum , vomitum , & sudorem movebit , nervosumque genus admodum irritbit : De qua re BOYLEUS narrat , Tribunum Militum quemdam ca-

Parifin. & alibi passim . Quin etiam notatum dicendum hic loci videtur clarissimum AUCTOREM , in suis Praelectionibus Academicis de Medicamentorum Viribus , quum de spiritu reatore differeret , dixisse , (licet istud omissum fuerit in prima hujuscem Tractatus editione) jam quidem SENDIVOGIUM , quem vulgo COSMOPOLITAM vocant , veritatem hanc annotasse ; nempe dum afferuit , quod in unoquocumque Corpore centrum sit certusque locus , in quo Sperma hæret , & ubi est semper tanquam punctum , i. e. , quasi circiter octies millesima , & ducentesima pars corporis , quantulumcumque hoc sit , imo & in uno grano Frumenti ; & istud aliter esse negavit , &c. “ Vide COSMOPOLITANÆ Novum Lumen Chymicum , Tract. III. De vera & prima materie Metallorum , editionis gallicæ pag. 15.

taraz-

taracta laborasse , hujusque Turbith ope ,
ad gran. i. forma sternutatorii exhibiti ,
curatum esse , excitatis primum turmo-
re Capitis , Alvi dejectione , Sudore ,
&c. Vide Tractatum BOYLE de Utili-
tate Philosophiae .

THEOR. VIII. Pro varia igitur applicazione Medicamenti , varii sequuntur effectus , quos novimus solum a posteriori : Si autem conjecturis locus sit dandus , forsitan haec considerationes non erunt sernendæ . (1) Major , minor-ve alicujus Nervi nuditas facit ad majores , minores-ve , ac etiam diversos , effectus adeo violentos producendos : quippe tunica quæ Nares investit , nervosa est expansio , nullisque fere involucris tegitur ; & omnis Nervus quando sensilis evasurus est , abit in substantiam mollem & mucosam ; quod quidem hoc in loco maxime fit . (2) Quo Nervi sunt origini suæ propriores , eo magis sensibiles extant , & hinc facilius a remotioribus irritantur : Sic , ex. gr. , Nervi Olfactorii a turbith , in modum sternutatorii exhibito , valde irritantur , quum idem alibi Nervis applicatum ; vix quandoque sentiatur . (3) Communicatio unius Nervi cum aliis potest effectus Medicamenti variare : nonnulli enim Nervi , diversa origine

F 4 orti ,

orti , s^epe concurrunt & communi n^odulo colligantur ; sed quum omnibus idem non sint concursus , hinc idem Medicamentum in variis Hominibus diverso modo agit . (4) Prout Nervus , cui Medicamentum aliquod applicatur , tendit ad Glandulas , Emissaria , Emunctoria , Medicamenti effectus variatur .

C A P U T X I I I .

Classes Medicamentorum

Secundum ea quae paulo ante dicta sunt , omnia Medicamenta , ex ipsis primis diversione , in tres Classes distribuuntur .

I. Classes est eorum quae in *Solidas* operantur : (intelligimus autem per *Solidas* , partes illas nostras ultimas , CAP. IV. explicatas .) Medicamenta porro in haec agunt , ea valde movendo , non destruenda tamen eorum cohaesione . Ex. gr. , sunt AB duae partes ultimae , cohaerentes ad CD ; haec moveri possunt absque separatione , vel solutione . Medicamenta hujus Classis sunt ,



sunt, 1. *Stimulantia*. 2. *Contraheantia*, i. e. , quæ faciunt ut Solida minorem habeant longitudinem , crassitatem vero majorem ; ita tamen ut eorum cohaesio non destruatur : adeoque Medicamenta Contraheantia partes incrassant , easque magis firmiter connexas reddunt . 3. *Laxantia* , quæ partes laxe cohærentes reddunt , ita ut mobiles , flexiles , dilatabiles , & tenuiores fiant . 4. *Constipantia* , quæ capacitatem Canalium minuant . Ad hæc autem referenda sunt , (α) *Emplastica* , sive omnia quæ glutinis instar Canalibus adhærent ; (β) *Illinentia* , quæ Emplasticis magis fluida sunt ; (γ) *Obstruentia* , quæ non tantum angustiores reddunt Canales , sed etiam implet . 5. *Chirurgica specifica* , ut *Sarcotica* sive Carnem generantia , *Cicatrisantia* , & similia . 6. *Solventia* , quæ dividi possunt in sex Classes ; nempe , (α) *Rubefacientia* , quæ levem inflammationem producunt ; (β) *Vescatoria* , quæ Vasa Lymphatica sua actione destruunt ; (γ) *Escharistica* , quæ non tantum Vasa minima , sed & Cutim ipsam consumunt ; (δ) *Corrodentia* , quæ omnia , quibus applicantur , absumunt ; (ε) *Caustica* , quæ partes adurendo destruunt ; (ζ) *Putrefaciens* ,

tia , quæ partes nostras in putridum liquamen convertunt .

II. Classis complectitur Medicamenta quæ in Fluida agunt ; nempe , vel totam Fluidi massam afficiendo , vel particularum quarundam Fluidi molem aut figuram mutando . Talia sunt , 1. *Attenuantia* , quæ particularem molem minuunt . 2. *Condensantia* , sive *Incrassantia* , quæ molẽ particularum augent . Hæc tamen quoad modum operandi distingui possunt : *Condensatio* enim fit a corpore comprimente partes antea liberas , quæ vero inde coalescunt , & in majores moleculas abeunt ; istud autem oritur a causa externa condensante & comprimente , ut ab externa pressione Aeris frigidi ; atque sic hyeme Aqua congelatur : *Incrassatio* vero fit , quum hæc partium combinatio contingit propter privationem partis liquidioris a calore dissipatae . 3. *Acrimoniam inducentia* , scilicet , ex mutata molecularum figura . Ceterum *acria* sunt , quæ motum suum per pauca puncta communicant ; adeoque acerrima , quæ per unum tantum : horum autem natura superius considerata fuit ; quin & observatum est , omnes particulas Fluidorum nostrorum obtusa figura prædictas esse . Huc perti-

pertinent *Putrefacientia* nostra Liquida. Jam vero *putrefactio* Liquidorum accidit, quum eadem, a partium attritu mutuo, acia redduntur, nimisque velocia, & ex dulcibus foetida, qui foetor plerumque ab Oleo volatili, per Salem acri redditio, procedit; hunc in modum quilibet fumus cum sale ascendens, Nares ingrato odore ferit. 4. *Demulcentia*, quae antecedentibus contraria sunt, eaque temperant; obtundendo scilicet eorum spicula. 5. *Immutantia*, quae quidem ita L quida mutant, ut tamen mutationis modum nesciamus: hoc dubium genus est, ad quod referenda sunt omnia quorum operandi modus nos latet. 6. *Diluentia*: haec vero totam Liquidi massam spectant, quum antecedentia in ejus particulas speciatim agant; & sunt illa, quae Fluidis nostris commissa, partes eorum cohærentes a contactu dimovent, aliasque particulas cohæsionem impudentes interponunt. 7. *Coagulantia*, quae partes fluidas coalescere faciunt, scilicet, vel diffando diluens, vel addendo glutinans, vel partes inter se compingendo. 8. *Moventia*, quae particulis motum imprimunt. 9. *Sistentia*, quae earumdem motum minuant, & toti massæ quietem inducent.

III. Classis est eorum quæ in *Solida* & *Fluida* simul operantur. Hæc autem in 5. Classes dividuntur; in quibus vero continentur omnia Medicamenta, de quibus Veteres, a posteriori ratiocinantes, mentionem fecerunt.

1. Classis complectitur antecedentes Classes, quatenus sub iis contenta Medicamenta actionibus combinatis agunt, (atque Circulationem Sanguinis, nec non Secretiones in genere, vel promovent, vel debilitant ac retardant. Huic etiam Clasti annumeramus ea quæ Secretiones Peculiares ciens; qualia sunt *Galactophora*, & *Spermatopœa*.)

2. Classis includit omnia quæ promovent Excretiones e quibuscumque Corporis nostri partibus. Quoniam autem varii Liquores, diversis in locis, excernuntur, variae sunt etiam Classes eorum quæ carent Excretiones; nempe, (1) *Lacrymas moventia*. (2) *Apophlegmatizantia*, quæ Narium Mucum educunt: Huc etiam referuntur *Sternutatoria*, quæ proprie Serum e Naribus elicunt. (3) *Sialagogæ*, quæ Salivam educunt: talia vero sunt vel *externa*, ut *Masticatoria* vel *interna*, ut *Mercurialia*, & *Vomitoria*.

ria. (4) *Expectorantia*, quæ Phlegmatis e Pulmone excretionem promovent. (5) *Purgantia per Alvum*: quæ vero sub se continent 1. *Eccoprotica*, quæ, motum Intestinorum leviter adaugendo, Alvi Fæces eliminant, & vix quicquam aliud, aut saltem, valde parum; hæc autem in 3 classes dividuntur, scil. (α) *Lubricantia*, quæ parietes Intestinorum lubricant; (β) *Diluentia*, quæ Faces diluendo movent; (γ) *Laxantia*, seu *Lenitiva*, quæ leviter Intestina stimulando, Fæces inde expellunt, absque tamen reliqui Corporis turbatione:) 2. *Phlegmagoga*, (quæ Lympham pituitosam educunt:) 3. *Cholagogæ*, quæ Bilem ejiciunt: (4. *Hydragoga*, quæ Sanguinem in Serum dissolvunt, solutum velocius movent, ut majori copia ad Intestinales Glandulas applicetur, tamque foras eman- dant.) 5. *Melanagogæ*, quæ Atram Bilem expellunt. Hæc vero sunt 5. Genera *Purgantium per Alvum*. Porro ad istam secundam Classem pertinent adhuc (6) *Vomitoria* quorum vi ea quæ continentur in Ventriculo sursum per Gulam & Os ejiciuntur.) (7) *Diuretica*, quæ Urinam movent. (8) *Sudorifera*, quæ Liquida per tubulos Cutis sensibiliter expellunt.) (9) *Diahpo- retica*, quæ Perspirationem promo- vent.

134 PROLEGOM. CAP. XIII.

Vent. ((1) *Uterina*, sive Medicamenta Utero dicata: hæc autem in 3. Genera dividuntur, scil.) 1. *Emmenago-
ga*, quæ Menstrua pellunt; 2. *Aristolo-
chia*, quæ Lochia eliminant; 3. *Ec-
bolica*, quæ Aortum procurant, Par-
tumque facilem reddunt.

3. Classis obtinet plurima quæ a Veteribus confuse tradita erant; ut (1) *Aperientia*, quæ Meatus obstructos aperiunt. (2) *Resolventia*, & *Discu-
tientia*, quæ Humorem, vel in Vasis, vel extravasatum, stagnantem, aut coagulatum, resolvunt, & ad fluxum disponunt solidaque stimulant ad Humoris propulsionem. (3) *Emmollientia*, quæ rigidas partes magis flexiles reddunt, i. e. Solida laxant. (4) *Adstrin-
gentia*, seu, *Styptica*, & *Indurantia*, quæ Vasorum latera magis ad se invicem accedere faciunt, Vaso sum aper-
tu ras elaudunt, robur ac rigiditatem Fibrarum augent & laxas partes fir-
miores reddunt. (5) *Detergentia*, quæ induratas fordes liquant & expellunt, nec non fibras mortuas auferunt abs-
que dolore. (6) *Catharteria*, seu *Emun-
dantia* (vel *Mundificativa*,) quæ ma-
jori vi detergunt, ad interiora magis penetrant, Carnem sanam etiam exter-
gentia. (7) *Erodentia*, quæ sunt quo-
que Detersiva & Mundificativa, sed

po-

potentissima ; nam vivas & sanas partes tantum non auferunt . (8) *Calefacientia*, quæ Corporis Calores augent . (9) *Refrigerantia* , quæ Calorem præternaturalem tollunt . (10) *Attrahentia* , quæ Humores ex loco in locum derivant . (11) *Repercutientia* , quæ Liquidum in parte aliqua exrerna hærens intus propellunt . (2) *Expurgantia* , quæ in Vasis concreta resolvunt , & expellunt . (13) *Suppurantia* , quæ concretum Humorem dissolvunt , & ad exitum disponunt . (14) *Maturantia* , quæ resolutum Liquidum æquale & homogeneum reddunt , ita ut facilius educi possit .

4. *Classis varia similiter complectitur* ; nempe , *Topica* , quæ vires suas exerunt , quatenus loco Corporis particulari applicantur , eidemque specifice conduceunt . Hæc vero , pro diversis Corporis partibus , in Genera sequentia distribuntur . (1) *Cephalica* , quæ dicta sunt Morbis Capitis . Hujus vero Morbi omnes dolorosi pendent ab imminentे ruptura propter Membranarum Cerebri tensionem ; quæ & ipsa , vel a distensione ex nimia Sanguinis aut alijs humoris copia orta , vel ab obstructione pendet : adeoque tunc *Laxantia* , *Temperantia* , *Refrigerantia* , & *Minuentia* conducunt ; quippe quæ *Cephalica* fiant . (2) *Ophthalmica* , quæ Ocu-

Oculorum Affectibus medentur ; taliaque sunt vel calida , vel frigida . (3) *Odontalgica* , quæ Dentibus dolentibus succurrunt ; qualia sunt *Caustica* , *Erodentia* , &c. ipsi Nervo applicata . (4) *Otaliga* , quæ Dolores Aurium sedant , & fibras valde tensas laxant ; etenim nullæ membranæ plus tendi solent , quam Tympanum & illa quæ Meatum Auditorium investit : Hic autem adhiberi debent Calida , ut Acqua aut Lac tepescens , & quandoque etiam frigida , quæ vitiis a Cerumine Aurium ortis medentur (5) *Stomatrica* , quæ spectant ad inflammationes Oris , Gingivarum , Palati , Faucium . Hæ vero inflammationes eodem modo curantur ac aliæ : porro si granræna adsit , sanatur Oleo Tartari ; alioquin alcalina non profundit , quippe quæ Dentes corrodant . (6) *Arteriaca* , quæ Fistulæ Pulmonali exasperatae statim medentur , illam nempe emolliendo ac leniendo : istud autem obtinetur Oleo Amygdalarum , nec non Eclegmatibus que Linctibus ; hæc tamen non semper profundit , quoniam dicta *asperitas* sæpe ab obstructione Glandularum internarum oritur ; quo in casu magis conferunt cum Vapor Aquæ calidæ Ore receptus , tum varia Decocta emollientia , ex Hordeo , Glycyrrhiza , Mal-

Malva, & similibus parata. (7) *Thoracica*, seu *Pulmonica*, quæ acrem materiam Pulmonibus impactam obtundunt, viasque laxant: & revera hæc in Humorum tenuitate juvant; at nōcent in Peripneumonia pituitosa, quæ neque Sulphuri, neque illius Balsamo cedit, Spiritus vero Sulphuris per campanam viribus aliquatenus deprimitur. (8) *Cardiaca*, quæ vel frigida sunt, vel calida: nam in nimio fervore & æstu, ad refocillandum, adhibentur frigida Acida, ex *Citri succo*, Vino Rhenano, &c.; sed in frigido statu Aromatica conductunt, quæ subito replentia, locum partium avolatarum supplent, ac Solida quoque stimulant. (9) *Stomachica*, quæ etiam vel frigida sunt, vel calida: nam in Ventriculi calidis Affectibus, Poma Citria, Sucus Limonum, Acetum, & similia prosunt; in frigidis autem calida. (10) *Splanchnica*, quæ Viscerum obstructiones referant: inter quæ locum primum obnident Aquæ Minerale Chalybeatae, ut & omnia quæ ex Marte & Mercurio componuntur, nec non Dif-solventia, & Aromatica. (11) *Intestinalia*. Hæc vero duplia sunt; nempe, I. *Carminativa* quæ Flatus discutiunt. Flatus autem sunt partes aeris elasticæ, intercepte inter duas extremitates.

tes spasmo contractas & occlusas ; ibi
quippe rarescit ac se expandit aer ,
& a distensione oritur dolor ; ad quem
tollendum primario requiritur , ut aer
e suo carcere liberetur , ne a nimia
partium distensione orientur inflam-
mationes , Sphaceli , Gangrenæ , Her-
niæ , &c. Ideo *Carminativum* omne
agit : extremitates illas tantummodo
referando : licet Veteres putaverint
Carminantia , ex se , Flatus discutere ;
quum revera tollant solummodo actio-
nem spasmodicam : adeoque truculen-
ta hæc Symptomata non venenosæ
acrimoniæ , sed soli distensioni , &
spasmo tribuenda sunt ; unde nullum
felicius datur *Carminans* , quam Opium
ipsum , & Medicamenta quæ spa-
smorum causas destruunt , Spiritus Ani-
males compescendo , vel acidum in-
volvendo : nam si supponamus , ho-
minem : Arsenicum sumpsisse tumebit
ejus abdomen ad crepaturam usque ;
hic vero tumor ab assumpto quodam
Oleo , quod acidum , huncce spasmum
creans , involvere potest ; ut Oleo
Tartari per deliquium multa Aqua
diluto statim tollitur : atque sic quan-
do Colicæ spasmodicæ invadunt fo-
minas hystericas , (quibus admodum
sunt familiares ; & quidem haud raro
anus ipsis ita clauditur , ut fistula cly-
steris

steris immitti nequeat ; interdum etiam Ventrici orificium observatur ,) tunc , inquam , optimum remedium est Opium , Castoreum , vel Galbanum in Aqua calida sumptum . *Intestinalium Classis* continet 2. *Anthelmintica* , quæ Vermes in Ventriculo & Intestinis latentes necant : talia sunt Emetica , & Purgantia fortiora ; dein aspera corpora , ut sunt Capita spinosa Anguillarum , cum butyro juncta , & jejuno Sthomaco deglutita ; insuper Conchylia grosso modo contusa , aut Ostreorum Conchæ , quæ Vermes istos vellicant , necant , aut fugant . (12) *Hepatica* , quæ nihil aliud sunt , quam Aperientia : talia vero sunt omnia Salina non acria , sed attenuantia ; v. g. , Sal Tartari , Sal Polychrestus , &c. (13) *Cystica* , quæ Vesicam Felleam depurgant : qualia sunt Cathartica , & Emetica . (14) *Splenica* , quæ Lieni sunt dicata : hæc autem sunt Aperientia . (15) *Mesenterica* , quæ Mesenterio dicantur ; suntque vel salina , vel saponacea , vel aromaticæ , vel stimulantia . (16) *Nephritica* , quæ vel Calculum frangunt , Lithontripitica dicta , vel eum expellunt : an vero dentur quæ prius istud agant , merito dubitatur . (17) *Hysterica* , quæ Utero conducunt ; suntque vel stimulan-

lantia, vel topica, vel antispasmodica. (18) *Arthritica* sive *Neurotica*, quæ specifico in Nervos, & in Ossium membranas, Articulorumque ligamenta agere dicuntur. (19) *Anodyna*, quæ Dolorem tollunt; hæc sub se complectuntur *Paregorica*; *Hypnotica*, & *Narcotica*: De quibus autem vide suo loco.

5. *Classis* continet *Antidota*, sive *Alexipharmacæ*, quæ Venenis specificè resistere dicuntur. Porro, cum Venena tripliciter agant; nempe, 1. quatenus Solidis spasmum inducunt; 2. quatenus Liquida nimis attenuant, vel coagulant; quatenus Vasa disrumpunt, & Liquida stagnare faciunt; hinc & *Antidota* sunt triplicia, nempe, quæ vel in Solida, vel in Fluida, vel in utraque simul operantur. Jam vero plura Venena vi acrimonie suæ agunt: si enim Cani unciæ duæ Vitrioli dentur, statim in ejus Ventriculo calor intensus, erosio, spasmus excitabuntur, & hæc symptomata tollentur ab Antidotis acrimoniam destruentibus; qualia sunt Aqua, Oleum, vel corpus aliquod gelantinosum, &c. Nulla quippe dantur Antidota quæ Venena specificè destruant, aut agant alia ratione, quam mechanica.

Pars